JOHAN. BERNHARDI GLADBACHII,

MED. DOCT. COMITIS PALAT. CÆS. ET REIPUBLICÆ FRANCOFURT. PHYSICI ORDIN.

PRAXEOS MEDICÆ IDEA NOVISSIMA,

In qua

Secundum solidiora Veræ Physicæ & Sanioris Medicinæ fundamenta

Omnium Morborum Origo

Ex

QUATUOR CARDINALIBUS

Concatenatâ serie deducitur, eorumque succincta ac perspicua medendi methodus explanatur.

Cum Indice locupletissimo.

EDITIO SECUNDA, priori longe emendatior.

(* * * * * * * * *)

HERBORNÆ,

TYPIS ET SUMPTIBUS

JOHANNIS NICOLAI ANDREÆ.

AN. M. DCC. XI.



Præfatio ad Lectorem.



Q Uem post exantlata superiori anno studia Academica laborem in me suscepi perficiendum, non alius fuit, quàm ut ea, quæ hactenus ex Præceptorum meorum Clarissimorum Harmesii præprimis & Overcampii nunc denatorum informatione fidelissima hauseram, seriò ruminarer, ac attenta animi consideratione mecum reputarem. Totus in eo eram, ut me ipsum informarem, & regularem in conceptibus meis ordinem stabilirem: Fateor namque,

& quid ignorantiam ſuam diſſimulare juvat ? defuit in conceptibus meis ordo , qui ut dicitur , eſt anima rerum.

Ut ergo ab aliis proficerem quod ipſe ignorabam , legi & evolvi Scripta Virorum in Medicina excolenda Clariſſimorum , qui omnem moverunt lapidem , ut morbos ad certas quasdam claſſes referrent ; tàm ut eò facilius abſtruſas morborum cauſas indagarent , quàm ut methodum traderent , cui tuto inſiſtere & absque ulla fluctuatione animi citò , tutò & jucundè morbis mederi poſſent. Attamen nullus adhucdum eorum, quorum ſcripta mihi ſaltem evolvere licuit , rem omnem exhauſit. Nonnulli ex Recentioribus , generalem nimis morborum Ideam nobis tradiderunt , quæ in Theoria equidem nonnihil veriſimilitudinis habet , in

qua hæresi & ego olim fui, dum omnes morbos ex Scorbuto secundum Clarissimum Bontekoe derivandos esse putabam: Verum in praxi, ubi secundum illam generalissimam Ideam manus operi admovenda erat, non raro hærebat aqua. Taceo jam Veterum & nonnullorum Recentiorum Ideas Medicinæ confuso ordine omnes esse dispositas, ut is, qui ex iis Medicinam addiscere satagit, aquam cribro hauriat. Proinde cum nec in Recentiorum, nec Veterum scriptis ordinem catenatum inveni, meo aliquid ingenio vendicandum esse putavi, ut, si quid imposterum in Medicina proficere conarer, minimorum etiam examen instituerem, & examinata ordine disponerem, ceu in œconomia benè instructa suppellex ordine & decenter reponi solet.

Multa equidem in ipso limine in-

veni obstacula, quæ non semel conatibus meis objiciebantur, ut iis amovendis parem me futurum dubitarem. Deprehendi tamen in progressu, multa nobis esse ideò difficilia, quia ea seriò aggredi non conamur. Nec me movit, quod apud Censores nonnullos temeritatis notam vix effugere possem, quin illi more suo eandem, ut de aliis, sic & de me repeterent cantilenam; dum ego Junior Medicus tantum in Medicina mihi præsumerem, ut solus sapere vellem videri. His non obstantibus Philosophicâ libertate fretus, & innixus experimentis & ratiociniis ex saniori Philosophiâ & Medicina desumtis, quorum fœcunda Parens præsens hocce seculum existit, seriò meditatus sum, si quam forsan in conceptibus meis excolendis ac ordine disponendis, Praxeos Ideam mihi sim formaturus clariorem, nec defuit conati-

natibus meis felicior successus, quin animo meo discendi cupido, aliquatenus jam satisfactum esse putarem.

Tantum ergo seriâ meditatione in conceptibus meis ordine disponendis profeci, ut morbos in praxi occurrentes, ad quatuor Fontes, aut Morbos Cardinales referendos esse non dubitarem: Siquidem ex iis innumeri manant rivuli, quorum scaturigo in fontibus istis generalibus quærenda est: Ita, ut omnes illi morbi, qui ex alterutra fontium suorum scaturigine prodeunt, eandem agnoscant causam, & generalem sui Curam indicent.

Primus Morbus Cardinalis mihi est Febris, quæ nihil aliud est, quàm perturbata Sanguinis mixtio. Per hanc intelligo perversam ac irregularem commotionem, quâ singulæ particulæ non agitantur eo loco, situ

ac numero, quibus in regulari effervescentia commoveri debebant, nec mutuis vinculis & amplexibus continentur, quibus amplecti fas erat: Acidæ scilicet destituuntur spirituosis, oleosis, terrestribus; spirituosæ & volatiles privantur acidis, oleosis; salinæ orbantur aquosis, oleosis; hinc divortium à se invicem faciunt, & amicum illum consensum, quo antea inter se conspirabant, deserunt, hîc nimirum acidæ, illic salinæ, ibi oleosæ, alibi spirituosæ seorsim existunt.

Ex sanguine hoc perturbatè mixto, oriuntur innumera symptomata, sive morbi particulares, radicati in Cardinali hac morborum causa; ut Dolor Capitis, Vigiliæ, Lethargus, Phrenitis, Delirium, Convulsiones, Sitis, Aphtæ, Appetitus prostratus, Nausea, Vomitus, Diarrhæa, Dysen-

ſenteria, Alvus adſtricta, Proſtratio virium, Anxietates, Inquietudines, Variolæ, Morbilli, & pluresalii, quos jam prætereo.

Secundus Morbus Cardinalis eſt Scorbutus, quo nomine intelligo ſanguinem ſuffocatum, rancidum, viſcido acidum, viſcido-ſalſum aut acido-ſalſum. Ex ſecundo hoc Morbo Cardinali ortum ſuum trahunt Dolor capitis, Vertigo, Apoplexia, Paralyſis, Convulſiones, Spasmi, Halitus oris fœtidus, Ptyalismus, Cruentatio Gingivarum, Dentium Vacillatio, & Caries, Palpitatio Cordis, Appetitus proſtratus, Fames canina, Cardialgia, Dolores inteſtinorum, Alvus adſtricta, Diarrhæa, Dyſenteria, Dolores artuum fixi & vagi, Maculæ diverſi coloris & magnitudinis, Puſtulæ, Ulcera, Pruritus, Phthiſis ſeu Tabes,

Sudores nocturni , Laſſitudo ſpontanea&c.

Tertius Morbus Cardinalis eſt Cachexia , quæ innuit Sanguinem craſſum , viſcidum , tenacem , acidum , auſterum , & immaturis particulis fœtum ; unde Cachexia duplex erit viſcida vel acida. Ab hoc morbo Cardinali producuntur præter nonnullos cum Scorbuto communes , Melancholia , Delirium melancholicum , Mania, Vigiliæ, Epilepſia, Catalepſis, Hæmorrhagia narium, Aſthma, Palpitatio cordis, Syncope , Appetitus proſtratus, Fames canina , Pica, Malacia, Ructus , Inflatio Ventriculi, Murmura Abdominis , Borborygmi , Flatus, Tympanites, Incubus, Paſſio Hyſterica, Hydrops, Menſium ſuppreſſio, eorumque nimius fluxus , Fluor Albus, Calculus Renum & Veſicæ , Iſchuria, Diabetes, Icterus, Arthritis, Varii generis

ris Tumores, Pustulæ, Ulcera, Tumores Tonsillarum, Oedema, Scabies, Strumæ, Tumores Cancrosi & Scirrhosi,&c.

Quartus Morbus Cardinalis est Catharrus, quo ipso intelligo obstructiones in variis corporis partibus ortas ab injuriis externis, maximè tamen frigidis, quæ diversimode humores incrassant, eosque plus minus perturbatè commiscent. Morbi qui ex Catharro oriuntur, sunt Gravedo, Coryza, Dolor Capitis, Convulsiones, Apoplexia, Hydrocephalus, Ophtalmia, Inflammatio, Aurium Tinnitus, Sonitus, Obauditio & Surditas, Dolor Dentium, Angina, Pleuritis, Tussis, Hæmoptysis, Phthisis, Palpitatio cordis, Syncope, Appetitus prostratus, Nausea, Vomitus, Cholera, Alvi Fluxus, Colica, Inflammatio Ventriculi & Intestinorum, Passio Iliaca, Stranguria,

Fe-

Febres Inflammatoriæ, lymphaticæ aut Catharrales dictæ, Paralyses, nunc Universales, nunc Particulares, Tumores & Inflammationes Glandularum Paratidum, Tonsillarum, Uvidæ, aliarumque partium Arthritis fixa & vaga.

Sunt tamen adhuc longè plures morbi particulares, qui ex suis fontibus aut morbis Cardinalibus derivari hîc potuissent, sed sufficit demonstrâsse omnes hosce morbos particulares non esse, nisi Morborum suorum Cardinalium funestos effectus, gradu saltem aut ratione loci affecti inter se discrepantes. Proindè omne curationis momentum in eo situm est, ut cura maxima habeatur morborum cardinalium, in iisque funditus eradicandis omnis semper collocetur opera, nisi interdum symptomatibus urgentibus sit succurrendum. Cavi tamen, ne symptomatibus

ptoma mitigaturus, Causam Cardinalem exasperarem. Lex mihi semper erat Generalissima, Languentem humorum Circulationem intendere, Imminutam particularum fermentationem restituere, Sufflaminatam insensibilem transpirationem augere, Viscidum incidere & attenuare, acidumque non tam præcipitantibus terreis, quæ funditus malum nunquam eradicant, concentrare, quàm volatilibus & spirituosis exaltare, comminuere, infringere, cum aliis particulis digerere, aut illud per insensibilem transpirationem, aut diuresin eliminare & excludere. Interim sedulò, præprimis in Scorbuto & Cachexia, ad primas vias respexi; ex quibus utplurimùm omnis mali sementum, tanquam ex Pandoræ pyxide, in totam œconomiam disseminatur.

Medicamenta, quæ huic intentioni

ni mihi inserviunt, ea sunt selecta, non multa quidem, sed quæ multum habent in recessu; adeoque omne ferunt punctum, nec Cordatum aut Rationalem Medicum unquam deserunt in praxi non minus feliciter, quàm cordatè exercenda: Mirabuntur forsitan Nonnulli, quod plurimorum morborum Curam à Vomitoriis exordiar, sed mirari desinent, si sedulò perpendant cruditates, in primis viis hospitantes, non raró eludere omnem digestivorum & attenuantium remediorum præstantiam, quibus etiam nunquam aut non nisi longo temporis intervallo id ipsum præstabis, quod non raro unico Vomitorio.

Quod si quis proinde morbos in praxi occurrentes ad Morbos Cardinales retulerit, non exiguum ille, in feliciter exercenda praxi, habebit adminiculum, cùm morborum causa ipsi facile

facile innotescit & remedia statim occurrunt ex Fonte suo Cardinali petenda : Sic namque Philiatri, si Philosophiæ sanioris, Oeconomiæ Animalis Anatomiæ & Chymiæ fundamentis fuerint imbuti, nullus dubito, quin hâc ratione brevi tempore Medicinæ Practicæ Ideam sibi formaturi sint succinctam ac perspicuam.


Scripsi interim, ut intelligar, obscuritatem, quantum potui, vitavi, dum brevis ac perspicuus esse volui, ne prolixior Lectori Meo tædium parerem, aut eum à lectione absterrerem. Placuisset quidem ad calcem nonnullas observationes ex unoquoque Morbo Cardinali desumtas adjicere, quo sic planiorem Philiatris pararem viam quomodo casus in praxi occurrentes ad Morbum suum Cardinalem sint referendi ad clariorem Praxeos Ideam sibi formandam. Sed, cùm negotium

hoc

hoc non unius ſit paginæ , altioremque mereatur indaginem, illud ipſum reſervavi tempori opportuniori. Vale Amice Lector.

Tuus

JOH. BERNHARDUS GLADBACH.



DE FEBRE PRIMO MORBO CARDINALI.

§. 1.

PRimum inter morbos Cardinales jure suo locum sibi vendicat febris, quia illa utplurimum aliis morbis Cardinalibus se associare ac ubique personam suam agere solet. Ut autem innotescat, quid febris nomine intelligendum sit, statum œconomiæ naturalem præmittendum censeo.

§. 2. Neminem itaque latere posse confido, sanitatem nostram consistere in libero sanguinis omniumque ab eo dependentium succorum circuitu, nec non in æquali justaque omnium particularum commixtione & commotione. Ut autem con-

Sanitas in quo consistit?

ſtet, quid per æqualem juſtamque particularum omnium commixtionem, & hanc inſequentem commotionem intelligam, paucis explicabo.

§. 3. Sanguinem noſtrum eſſe congeriem particularum à ſe invicem diſcrepantium, non probat ſolum diverſitas alimentorum aſſumtorum, verum etiam diverſa fermenta à Maſſa ſanguinea ſecreta. Ut vero omnes ſanguinis particulæ tacito quodam conſenſu inter ſe conſpirent, juſtamque ſervent commixtionem, nullæ imperii faſces ſibi arrogent, nullæque ſeorſim collocatæ ſint, ſed æquali proportione *gravitatis* & *levitatis*, *figuræ*, *magnitudinis*, *numeri*, *ſitus ac motus gaudeant*, neceſſe eſt: quo fit, ut *particulæ ſpirituoſæ* frequenti circuitu ſui juris redditæ nimiumq; in ſanguine exultantes à novo affluente chylo, ne fugam capeſſant, cohibeantur; ſegnities novi, permiſtione rarefacti chyli excitetur; *acidæ* amplexibus oleoſarum occulrentur, ut à nimia cum lixivioſis arceantur efferveſcentia; *aquoſæ* ſalinis, & *ſalinæ* aquoſis detineantur; *ſpirituoſæ*, *volatiles*, *hamoſæ* acidas ſalſaſque obtundant particulas; *oleoſæ*, *limoſæ*, *glutinoſæ*, *gummoſæ* & *reſinoſæ* ſpirituoſarum ac volatilium impediant diſſipationem,

nem, ut eo felicius viscosæ, glutinosæ gummosæque attenuentur, brachiola ramulique earũ latius expandantur, magisq; rarefiant. *Nonnullæ* interim ex consortio harum particularum exclusæ&ad avolandum idoneæ, quales sunt aquosæ, spirituosæ, acidæ, avolant, quarum loca derelicta à materia subtili & aëre occupantur, unde novo calcari impulsus sanguis opportunam nanciscitur occasionem blandam particularum suarum commotionem perennandi.

§. 4. Non vero intelligo per blandam hanc particularum agitationem fermentationem talem, qualem in musto & massa farinacea advertimus; non enim ferret eam tubulorum nostrorum teneritudo, quin facile ruptionis incurrerent periculum; sed sedatam admodum, & quasi suffocatam, ceu cernere est in spiritu acido sali volatili oleoso commixto: si enim sali volatili oleoso paucas guttulas spiritus vitrioli affuderis, effervescentiam blandam, suffocatam, imo vix conspicuam experieris.

§. 5. Blandam hanc particularum commotionem arguit earum discrimen, cum in sanguinis misti strue occurrant particulæ, *magnitudine*, *figura*, *situ* inter se discrepantes, quæ tam arcte sibi invicem jungi

non possunt, quin spatiola relinquantur materia subtili replenda: Hæc fulminis ocyus aliis misti compagem pervadendo illas particulas, quæ motui ejus rectilineo obicem ponunt, removet, hæ iterum alias propellunt atque protrudunt, & sic in infinitum.

§. 6. Hunc in modum cum particulæ sanguinis agitantur multosque circulos sui motus describunt fieri non potest, quin misti sanguinis strues dissolvatur, vasa expandantur, nonnullæq; particulæ à misti compage divortium facere teneantur. Hujus generis sunt aquosæ & spirituosæ, quæ dum à materia subtili in vehementem abripiuntur expansionem, quam in meatibus strictæ compagis obtinere nequeunt, ab aliis separantur, tenuesq; evanescunt in auras. Dum sic in aërem propelluntur interstitia ejus occupant, eaque comprimendo materiam subtilem expellunt, coguntque eam loca in sanguine relicta occupare; sic omnia moventur in circulum, omniaque loca corporibus sunt plena, semperque eædem materiæ partes æqualibus locis coæquantur.

§. 7. Hac ratione dum omnia commoventur, cor valde contrahitur sanguinemque cogit velocissimo passu per totius corporis

poris tubulos oberrare, qui quo alacrius ex ſiniſtro cordis thalamo cerebrum verſus propellitur eo promptius à reliqua maſſa ſuccus nervoſus, indolem ſanguinis matris ſuæ præ ſe ferens, ſecernitur; cum enim ſanguis eſt congeries particularum valde diverſarum, aſt intime inter ſe mixtarum, extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt, ſuccum illum nervoſum pari modo particulis *figura*, *magnitudine*, *numero* ac *motu* diſcrepantibus itidemque legitime inter ſe mixtis eſſe foetum.

§. 8. Quem in modum ſanguis circulare ſuum iter toties totiesque dum inſtaurat, ejus particulæ motu inteſtino circa proprios axes gyrant; reſpiratio neceſſario acceleratur, quæ vel frequens vel languida exiſtit, prout ſanguis majori vel minori commotione gaudet; quo enim frequentius reſpiramus, eo ſanguis redditur calidior, ac ad rareſcendum magis idoneus. Ne autem vaſa nimia illa particularum rarefactione, ultra modum expandantur, cautum eſt, ut aër undique nobis affuſus cutim vaſaque ſubſtrata valde comprimat, ſanguinemq; intra cancellos ſuos contineat. Cujus rei veritatem experimenta Boyliana dilucide demonſtrant. Immitte

namque felem in recipiens, ex quo aër est exhauriendus, experieris felem mirum in modum intumescere crinesque se erigere; si vero aërem iterum intromittis, ille cutim crinesque deprimet ac comprimet. Non alia de causa, quam quod extracto aëre sanguis effervescens nullo pondere incumbente intra cancellos suos detineatur; hinc cum minor est pressura Athmosphæræ, æquilibrium illud inter succos fermentantes & aërem prementem tollitur, pressioque Athmosphæræ superatur.

Quid turbata sanguinis mixtio?

§. 9. Satis proinde me evicisse puto perfectam machinæ nostræ sanitatem dependere à velocissimo rapidissimoq; sanguinis circuitu, nec non ab æquali legitimaque ejus commixtione & commotione. Ordinis jam postulat ratio ut discutiam, qui particularum suarum perturbatam incurrat mixtionem, quam omnium febrium causam agnosco. Hæc latissime patet, ita ut non solum febres intermittentes, sed & continuæ, malignæ, pestilentiales, omnesque aliæ ab eadem commode deduci possint causa; quippe ex infra dicendis patebit omnes febres esse tantum diversas perturbatæ mixtionis species, nec eas inter se differre aliter, quam secundum

dum majorem vel minorem turbatam sanguinis mixtionem, nec non secundum diversa concomitantia symptomata, hanc vel illam corporis plagam afficientia.

§. 10. Per sanguinis turbatam mixtionem intelligo perversam ac irregularem particularum commotionem, qua singulæ non agitantur *eo loco*, *situ* ac *numero*, quibus in regulari effervescentia commoveri debebant, nec *mutuis vinculis* & *amplexibus* continentur, quibus amplecti fas erat, sed jugi impatientes laxis decurrunt habenis, quælibet prædominium affectat, hinc divortium à se invicem faciunt, & amicum illum consensum, quo antea inter se conspirabant, deserunt, hic *acidæ*, illic *salinæ*, ibi *oleosæ* alibi *spirituosæ* seorsim existunt, unde volatiles in motu suo quo circa centra sua gyrabant vel impediuntur vel obtunduntur, vel fugam capessunt, & massam sanguineam enervant & vappæ haud absimilem constituunt. Hinc materia subtilis, quæ antea inoffenso pede per lineas rectas, sanguinis struem permeare solebat, jam ob inordinatum particularum situm ubique offendicula deprehendit, quæ motui ejus rectilineo, remoram injiciunt, unde nunc in hunc nunc in illum

porum allidit, quem cum negato transitu trajicere nescit, resilit, mox iterum in eum arietat novosque molitur impetus, donec vi sibi viam parans claustra & obices diffringit. Hinc fieri aliter non potest, quin indefinitis modis lædantur omnia & tumultuario ordine *sursum, deorsum, dextrorsum, sinistrorsum, antrorsum, retrorsum* agitentur, sicque turbatam mixtionem moliantur.

§. 11. Ut clarius adhuc innotescat, quid per turbatam mixtionem intelligam, juvat scire omnes particulas sanguinis orbari amplexibus aliarum particularum, quibus in statu naturali contineri debebant; *acidæ* scilicet destituuntur spirituosis, oleosis, terrestribus; *spirituosæ* & *volatiles* privantur acidis, oleosis; *salinæ* orbantur aquosis. Quid mirum itaque, si totius misti compages labefacta & in prima sua principia resoluta interitum suique ruinam minetur.

§. 12. Evidens hujus rei exemplum nobis præbet lac, tamdiu lac appellandum, quamdiu ejus particulæ intime inter se sunt mixtæ, quamprimum autem mutuum particularum suarum conjugium de-

deserunt, ad interitum vergit, acescit, particulæque varii generis manifestantur, quæ ante mixti resolutionem aliarum particularum involucris abscondebantur, ita ut nullo modo à se invicem distingui potuerint: sed ruptis jam vinculis hic *serosæ*, illic *caseosæ* alibi *butyrosæ* locum sibi vindicant.

Prima perturbatæ mixtionis causa.

§. 13. Quid per turbatam sanguinis mixtionem intelligendum sit, ex modo dictis abunde constare reor, operæ jam pretium erit, ut in ejus causas inquiram. Has inter jure quodam *primum locum* obtinet *inordinata particularum compressio*, qua sublato æquilibrio proportio levitatis & gravitatis tollitur, aliæ aliis sunt vel leviores vel graviores, unde aliæ deprimuntur, aliæ iterum caput exserunt; quo fit ut viciniam naturalemque situm mutent, hinc materia subtilis alios sibi poros formare tenetur, & quos antea motu rectilineo absque ulla particularum læsione & remotione pervadebat, jam viis mille modis intortis transire cogitur: Et quid inde aliud, quam earum ruina & destructio exspectandum venit?

§. 14. Exemplo nobis sint poma, quæ in acervum collecta facilius putrescunt, quam si dispersa jaceant. Latere autem neminem potest in pomo omnes particulas

proportionaliter ad fermentationem esse dispositas, tam ratione particularum spirituosarum, quam viscidarum, salsarum & acidarum, hinc particulæ pomi mutuo respectu graves esse nequeunt, sed omnes æqualiter agitantur, ita ut alia aliam in motu suo nec impedire nec supprimere possit. Sed poma in acervum congesta & sibi incumbentia premente Athmosphæra gravitare mutuo respectu incipiunt, hinc situm mutare aliaque interstitia formare coguntur, quæ recta materia subtilis trajicere nequit.

§. 15. Quod ut pateat clarius, supponamus primi pomi situm ita esse constitutum, ut materia subtilis ab austro versus boream vel à borea versus austrum per ejus tubulos libere diffundi possit: sit jam secundum priori ita oppositum, ut materia subtilis cœptum ab austro iter commode perennare possit, veluti per duos magnetes, non erunt hæc poma mutuo respectu gravia; verum si situs secundi non respondet prioris situi, inordinate se comprimunt, alius componetur particularum ordo situsque, hinc materia subtilis alios sibi meatus eligens infinitis modis particulas agitabit, lancinabit, removebit, omnemque ordinem,

quo

quo antea gaudebant, destruet & evertet. Quo ipso contingit, ut particulæ leviores se ex crassioribus extricent, eas dissolvant, donec volatilibus abactis poma putrescant.

Altera causa.

§. 16. *Altera causa* perturbatæ mixtionis *est spirituum defectus*: quibus si massa sanguinea copiose referta est, particulæ viscosæ, glutinosæ ad dissolutionem & rarefactionem disponuntur ceu videmus liquores viscidos igni appositos rarefieri, brachiolaque sua latius expandere; idem id præstant in massa sanguinea particulæ spirituosæ, quæ à materia subtili valde agitatæ, motum circularem obtinent, facilique negotio se in poros viscidarum intricant, quos dilatant, ampliant, sicque laxam ac solutam earum compagem reddunt. Secus autem contingit, si M.S particulis spirituosis depauperata est; arctiorem enim tum particularum suarum induit structuram, ut thesi sequenti indicabo.

Tertia causa.

§. 17. *Tertia* perturbatæ mixtionis *causa est spirituum suppressio*: Suppressæ enim aliarumque particularum compedibus vinctæ eo in quo sunt loco, commorari tenentur, ut apparet in sanguine coagulato: sicque quod viscidum, quod glutinosum, quod

quod terrestre, nec dissolvi, nec comminui potest; sanguis minus effervescit, minus sese expandit, hinc ab Athmosphæra incumbente & æqualiter premente particulæ ejus arctiorem induunt structuram crassioresque evadunt.

§. 18. Quicquid itaque in sanguine particulas spirituosas volatiles supprimere vel ex eo abigere potest, illud mixturam ejus turbare aptum natum est. Hunc in censum maxime veniunt particulæ *viscidæ* & *acidæ*, quæ naturalem sanguinis commotionem impediendo tardiorem ejus efficiunt circulationem, hasque solas fere hujus criminis reas funestæque hujus procellæ tubam facemque habendas esse non levibus adductus rationibus concludo.

§. 19. Quod ut evidentius appareat: supponamus singulis pulsibus ℥j. sanguinis cor ingredi, (quanquam plures impelli certum sit) admisceatur ei acidi heterogenei ℈j. liquido constabit, tantum particularum salinarum, fixarum, volatilium non existere in ℥j. sanguinis quantum ad ℈j. acidum obtundendum & legitimam mixtionem obtinendam requiritur, unde necessario perturbatam particularum suarum incurret mixtionem.

§. 20.

§. 20. Ut res fiat clarior ponamus in ℥j. sanguinis contineri 200 particulas salis lixiviosi, 600 particulas volatiles, 100 acidas, 300 spirituosas, 500 aqueas, oleosas & terrestres: & hæc præter propter justam omnium particularum æquipollentiam constituere. Sint jam in acidi ℈j. 800 particulæ acidæ facile innotescet advenientibus his acidi puri particulis priorem commotionem sanguinis impeditum iri. Cum jam plus advehatur particularum acidarum, quam à *lixiviosis, spirituosis, volatilibus* subigi, temperari & in regulari situ teneri possit, illico presso pede insequatur minor agitatio turbataque earum mixtio, necesse est. Remittente ita naturali effervescentia, *viscosæ* minus dissolvuntur, incrementū sumit pressuræ Athmosphæræ, qua *viscosæ* adeo arcte agglomerantur, ut *aquosæ* se ex illarum poris extricare & avolare nesciæ liberum materiæ subtili introitum intercludant.

§. 21. Probat hoc sufficienter experimentum in canibus institutum; si enim canì satis vegeto oleum vitrioli in venam jugularem infundis, illico omnium membrorum tremorem percipies, pulsum frequentiorem animadvertes, ac tandem videbis eum horrendis convulsionibus exspirare;

Ve-

Verum ſi cum vehiculo quodam eadem olei vitrioli doſis per os fuerit aſſumta, vix ullum exinde ipſi ſuborietur incommodum, cum à fermento primarum viarum facile ſubigi & temperari poſſit, antequam ad maſſam ſanguineam perveniat: Verum ſi immediate ad eam pervenit, tantum particularum volatilium ſalinarum &c. non exiſtit in ea quantitate ſanguinis, quæ unam cordis diaſtolen efficit, quantum ad acidum illud olei vitrioli heterogeneum obtundendum ſufficit. Hinc neceſſario ſanguis perturbatam incurrere tenetur mixtionem, eo quo (§. præced.) jam demonſtratum eſt modo. Quod autem acidum illud olei vitrioli majores turbas excitare valeat, ſi immediate ſanguini confunditur, quam ſi per vias ordinarias ad eum pervenit, probant infinita illa experimenta, quæ Chirurgia infuſoria nobis ſuppeditat: Inter alia ſi catharticum aliquod venis infunditur, dimidia doſis ſufficere poterit pro purgatione valida. Si cani propinas opiatum, quod hominem enecare ſatis potens eſt, nullum ſortietur in eo effectum; verum ſi immediate illud ſanguini ejus confundas, quantumvis canis exiſtat ferox, elapſis aliquot minutis gravi obruetur

tur ſomno. Hinc etiam eſt, quod venena animalium non potu, ſed vulnere noceant, cum fermentorum in primis viis activitas eorum vim eludat.

§. 22. Sanguine itaque perturbate miſto non poſſunt non in omnibus corporis glandulis ſecerni humores, in quo omnes particulæ inordinate ſunt ſituatæ; quæ cum differunt inter ſe figura, magnitudine, ſitu ac motu non omnes conveniunt cum figura ac magnitudine vaſorum; unde ſublata proportione inter ſuccum & vaſa minor eorum copia producitur, & quod peſſimum, craſſiores, acriores inordinateque mixti procreantur; non enim alios ex penu ſuo ſuppeditare poteſt ſanguis, quam quibus copioſiſſime eſt refertus. Quo ergo majorem patitur ſanguis perturbationem, eo major quoque humoribus impertitur, imo eadem labe, qua ſanguis, inficiuntur, hinc minori velocitate pauciores, turbateque mixti in totum corpus deferuntur, tantisque in œconomia muniis obeundis impares ſunt. Hæc depravationis nota ſucco nervoſo etiam impartitur, licet enim ſupra diximus, quod ſpiritus in ſanguine ſint ſuppreſſi, non ceſſat tamen eorum productio, non enim deſinit in ſanguine effervescentia,

tia, ſed minor ſolummodo eſt ac inordinata; unde particulæ ſpirituoſæ ſegnius à miſti compage liberantur, perperam ſecernuntur & in corpus influunt.

Signum febrium pathognomonicum.

§. 23. Explicatis jam hiſce & quid per turbatam ſanguinis mixtionem intelligendum ſit, indicare operæ pretium erit, qua ratione febris innoteſcat. Eſt itaque omnium febrium ſignum pathognomonicum pulſus præter naturam frequentior, hoc namque poſito ponitur, & ſublato tollitur febris, eique ſoli, omni & ſemper convenit.

Pulſus præter naturam frequentior non eſt auctæ circulationis indicium.

§. 24. Abſit autem ut pulſum præter naturam frequentiorem pro infallibili auctæ efferveſcentiæ & circulationis ſigno habeam, quippe ex ſupra dictis patet, ſanguinem perturbate eſſe mixtum, proinde minus efferveſcere, tardiusque ſuum circulum abſolvere. A ſanguine autem perturbate mixto, viſcoſo, acido & ad intumeſcendum inepto pulſum oriri frequentiorem, citius demonſtrabo, quam coquuntur aſparagi.

§. 25. In ſanguine perturbate mixto *particulæ ſpirituoſæ* vel diſſipantur vel ſupprimuntur, quibus miſti ſtrues reſolvi & attenuari debebat, hinc particulæ quæ alias ad fugam

fugam pronæ, nihil minus quam eam meditantur, &, quod pessimum, materiæ subtili ad omnes particulas fermentescibiles aditum intercludunt, hinc minus attolluntur vasa, & minor renitentia contra pressuram Atmosphæræ, qua valide premente strictiorem nactæ compagem in se quasi recedunt, ipsique ægri sentiunt quale sit incumbentis Atmosphæræ pondus, ut nec consistere nec erigere se possint. Pari ratione ac si ope anthliæ pneumaticæ ex quadrilatero recipienti plumbeo (quo in herba Thee asservatur) aërem extraxeris, illico latera istius recipientis propius ad se invicem accedent; si continuabis exanthlare aërem, penitus coibunt, non aliter ac si malleo fuerint combinata. Non alia hujus phænomeni est ratio, quam quod exanthlato aëre minor intra recipientis cavitatem sit renitentia contra incumbentis athmosphæræ pressuram. Priusquam autem extractus fuit aër, in æquilibrio stabant omnia; non enim major erat pressio ab incumbente aëre externo, quantum fuit renitentiæ ab aëre interno. Quod si vero aërem iterum intromittis, latera recipientis iterũ se separabunt & longius à se invicem recedent. Idem & moliri aërem, incumbentem

in corpus nostrum, nullus dubito. Non autem persentimus illud pondus aereum; sumus enim tum constituti in æqui librio, nec magis sentimus gravissimum illud pondus aereum, quam expansionem corporis internam. Hanc pressionem magis advertunt illi, qui cum morte colluctantur; in iis enim vasorum expansio minor est, hinc magis anguntur, totum corpus omniaque viscera quasi sub prælo constringuntur.

§. 26. Hoc in statu dum versatur sanguis, cordis ventriculos sufficienter expandere impar est, unde subitanea eorum subsequitur contractio, cum enim tantum temporis non requiritur ad expansionem mediam, quantum ad integram, parietes cordis citius quam par est contracti, quem crassum & viscidum una contractione expellere nesciverunt sanguinem, hunc subito repetita contractione expellere nituntur, ita ut imperfectam in corde intumescentiam imperfecta excipit constrictio. Quod si enim sanguis tenuis satisque fluidus esset, cor unico ictu eum expelleret, dum vero justo crassior existit repetitis ictibus opus habet. Nec aliter fieri potest; sanguis namque viscidus & crassus una constrictione cum expelli nequeat, cor iterum se dilatat, mox ite-

iterum se constringit, ut sanguinem residuum primæ cordis contractioni non auscultantem expellat, unde equidem pulsus frequentior, ast nihilominus tardius sanguis progreditur. Eandem quoque ob rationem sanguis talis in arterias propulsus illarum constrictioni morem non gerit, sed semi contrahuntur & dilatantur. Sanguis autem satis rarefactus velocissimo cursu progreditur, pulsus percipitur tardus, sed magnus, quoniam cor & arteriæ in systole sua non impediuntur; hinc illi obtemperat sanguis, ceditque facile, atque ita cor & arteriæ validissime & firmissime constrictæ nonnihil temporis insumunt antequam sufficiens earum dilatatio subsequi possit.

§. 27. Insuper cum pulsus sit frequentior æque in febrium horrore ac in subsequente calore, quis cui sanum est sinciput ausit asserere in febrium horrore sanguinem velocius circulum suum obire? quod necessario sequeretur si pulsus frequentior indubitatum rarefactionis & auctæ circulationis foret indicium. Merito proinde *primo* concludo pulsum esse frequentem, non quod sanguis tenuis & fluidus, sed quod crassior & justo viscosior sit. *Secundo*,

ſi in febrium horrore pulſus eſt frequens exiſtente ſanguine craſſo, quid vetat in febrium æſtu pulſum frequentem eandem agnoſcere cauſam?

§. 28. Hoc ut demonſtrem clarius ſcire intereſt ex Phyſiologicis cor eſſe muſculum neceſſitate organica ſe moventem, proinde motus ſui cauſam eandem ac reliquos muſculos agnoſcere. Ecquis inſuper, cui ex Pathologicis notum eſt reliquos muſculos convulſionibus agitari, iisdem & cor, nihil alienum à reliquis muſculis habens, corripi quandoque poſſe, non concluderet? adeo ut pulſus frequens cordis nihil aliud videatur eſſe, quam motus ejus concitatus & convulſivus. Dicto huic facilius quis calculum ſuum addet, ſi ea perpendat, quæ ſupra de ſuccorum & præprimis ſucci nervoſi ſecretione læſa dicta ſunt. Manet ergo alta mente repoſtum pulſum frequentiorem à ſanguine craſſo tardiusque circulante natales ſuos derivare.

Symptomata febris indagantur, ac primo unde frigus & horror.

§. 29. Satis de his, ad *ſymptomata* recenſenda devolvor. Plurimarum febrium fidum ſeſe præbet comitem *frigus*, nec facile quiſpiam febre corripitur, quin levis aliquis horror præceſſerit. Cauſam agnoſcit tur-

turbatam & imminutam particularum sanguinis commotionem, materiæ subtili transitum interdicentem, id quod ex supra dictis satis patet. Extra omnem dubitationis aleam jam pono in febribus sanguinem tardius circulare, unde suspenso & testudineo passu sanguis ille particulis spirituosis orbatus, & acidam diathesin nactus ad remotiores corporis tubulos appellit, qui quo tardius progreditur, eo plus temporis habebit ad afficiendas frigore nervorum fibras: quod si vero fieri posset, ut idem ille sanguis velocissimo raperetur per vasa sua cursu, frigoris horrorisque ideam nullam nobis incuteret. Pari ratione ac si quis frusto glaciei se leviter & tanquam in fuga fricet, tantillum saltem frigoris percipiet, verum contento eodem diu in uno eodemque loco, ingratum subsequetur frigus. Præterea demonstratum est supra ex sanguine perturbate mixto non alios posse secerni spiritus animales quam qui eadem labe, qua sanguis sint infecti, unde & illi acriores crassioresque secreti minori velocitate in corpus ruendo sanguinem segniter ejiciunt, qui lente tubulos remotiores pervadendo plus temporis insumit ad afficiendas frigore molesto nervorum fibras.

§. 30. Invadit autem frigus cum tremore omnium membrorum, dentium stridore & concussione, eo quod spiritus perturbate mixti impetuose influant in musculos, & parum abest, quin convulsionibus agitetur tota machina, maxime autem irruunt in musculum temporalem, qui involuntarie & frequentius maxillam inferiorem valide adducendo dentium concussionem parit.

Calor unde.

§. 31. Corpus tandem his furiis immane quantum agitatum sensim in molestum totius corporis calorem delabitur, eoque acerrimo totum quasi comburi videtur. Dictum est §. 27. in febrium horrore materiæ subtilis influxum præpediri, eo quod minor sit sanguinis agitatio, & per consequens minor quantitas particularum avolantium, hinc minor quoq; compressio aëris ad materiam subtilem ex poris ejus exprimendam & in sanguinem adigendam. Verum sensim paulo liberior materiæ subtili commeatus conceditur, nunc in hunc nunc in illum porum irruendo tandem vi viam sibi liberiorem parat, quam dum impetrat, particulæ turbatæ priorem in mixtione situm obtinere incipiunt. Quæ dum peraguntur, calore totum corpus æstuat,

æstuat, sanguis alacriori passu profluit, quam in statu frigoris, minus tamen adhuc veloci, quam in statu restitutæ turbatæ mixtionis.

§. 32. *Absit* autem ut sententiæ Virorum quorundam Clarissimorum subscribam, qui calorem totius corporis molestum de febrium Essentia esse putant. Quia vero ille nec omni, nec semper nec soli febri competit, ignoscant si ad eorum castra transire recusem.

§. 33. *Meo itaque* judicio à veritatis semita quam longissime deflectunt illi, quibus hæc sedet animo sententia, intolerabilem in febribus calorem indubitatum esse celerioris circulationis indicium; audivere equidem caloris essentiam consistere in celerrimo particularum motu, id quod utroque largior pollice, si motum particularum intestinum & inordinatum intelligant, qui consistit in eo, ut particulæ circa centra sua secundum omnes dimensiones moveantur, motibus variis in se insurgant, adversaque fronte pugnent: verum si motum intelligant progressivum, quem illos intelligere haud ægre est conjicere, suam in Physicis produnt ignorantiam; Motus enim progressivus non ponit, sed tollit calorem.

§. 34. *Exemplo* res fiet clarior. Flumina quæ rapidissime progressivo feruntur cursu, nullam caloris ideam nobis imprimunt contra stagna, paludes eo quod motu progressivo non deferuntur, motu particularum intestino in se insurgunt, blandumque in nobis excitant calorem. Sic quoque si valido conatu halitum in manus inflaveris particulæ omnes motu progressivo feruntur & frigus percipies; si remissius inflaveris particulæ omnes motu agitantur intestino, caloremque animadvertes.

§. 35. *Aër quo crebrioribus* ventis agitatur, eo magis frigefacit: contra vero si sudum est, & aër tranquillus, præ nimio calore suffocari videmur. Pluribus adhuc dum experimentis probare possem posito motu progressivo tollo motum intestinum, & calorem simul, sed cum instituti mei ratio id non exigit, nihil addam amplius.

§. 36. In febrium ergo æstu dum motu intestino omnia tumultuarie moventur, particulæ diverso agmine inter se volitantes, inordinate in fibras etiam minimas incidunt, quas concutiunt, agitant & ita molestum producunt calorem; In statu sanitatis dum sanguis celerrime circula-

culatur major equidem est calor, sed minus percipitur, cum stante celeriori circulatione ille ne quidem concipi, nedum oriri possit: particulæ namque tum regulariter moventur porosque inter se formant, per quos materia subtilis absque ulla eorum læsione recta fluit, cujus motum particulæ facili fuga insequuntur, nec molestum in tubulos, quos præterlabuntur faciunt impetum. Verum textura particularum inversa materia subtilis denegato liberrimo transitu, nunc in hanc, nunc in illam particulam impingendo toties resilit totiesque novas molitur arietationes, donec eas protrudat & graviter in fibras impellat, unde molestus ille caloris sensus in mente producitur, qui major percipitur, quamvis revera minor sit, ac in statu naturali.

§. 37. Sequens exemplum rem quam maxime explanabit. Pruna raptim sublata digitis, & celeriter in manibus agitata, non comburet digitos, verum lentius arrepta & segnius in manibus agitata, manus comburet. Sic sanguine celerrime circulum suum obeunte naturalis calor in corpore minus percipitur, quia satis otii non habet ad afficiendas calore molesto nervorum fibras.

Intermissionis causa indagatur.

§. 38. Remittente jam calore febrili sanguis pristinam fere adeptus est mixtionem, symptomata, quibus febris erat stipata remittunt, & æger pristinæ sanitati se restitutum esse infirmis rationibus persuasus credit. Verum postliminio malum non raro redit, vel levioribus vel gravioribus concomitatum symptomatibus prioremque ludens tragœdiam.

§. 39. Ut autem Phænomeni hujus rationem reddam, scire interest, plerasque, imo quid omnes dicere renuo, febres esse intermittentes, ita tamen, ut nunc longiora, nunc breviora paroxysmos intercedant intervalla. In continuis sic dictis presso pede alter alterum excipit, ut priore vix dum evanescente alter jam personam suam agere sit in procinctu, ita ut unus idemque paroxysmus esse videatur.

§. 40. Non infimi subsellii Medici observarunt febres ex pluribus intermittentibus sæpe esse multipliciter compositas, quales sunt quotidianæ duplices, triplices; Tertianæ duplices, triplices; Quartanæ duplices, triplices; quarum paroxysmi diversimode sibi respondent, nec raro uno die duos tresve successive paroxysmos observare licet. Idem & in febribus sic dictis con-

continuis occurrere nullus dubito: quid si enim quis statuat primum paroxysmum nondum remittentem excipere secundum, secundum tertium, tertium iterum primum sive quartum nihil absurdi exinde fluet. In continuis præterea sic dictis observare licet esse quædam intervalla, cum quibusdam temporibus melius se habere videantur ægri.

§. 41. His ita rationis lance trutinatis *in febrium intermissionis causas* inquiram. Sanguis ille perturbate mixtus, tam propter diversum particularum situm & ordinem, quam propter vitiatam proportionem particularum cum proportione vasorum facile variis obstructionibus obstetrices præbet manus. Easque pro majoris vel minoris tenacitatis gradu pertinaciores parit. Sanguis tali modo constitutus per arterias ad angustissimos tubulos præsertim glandulas perveniens ibidem succis appellentibus obicem ponit, qui ulterius progredi prohibiti ibidem moram nectunt, acidiores evadunt, obstructiones arrodunt, accedentibus à tergo pluribus succis qui transitum urgent, remotisque tandem repagulis in sanguinem se effundunt, & novum inducunt paroxysmum eo quem ante (§. *19.* & *20.*) demonstravi modo.

§. 42.

§. 42. Sed quomodo paroxyſmus ille ſtata obſervet intervalla ut vel exactiſſimum horologium horas accuratius indicare nequeat, diſcutiendum reſtat. Notum eſt certos quosdam homines certa quadam hora eſurire; Quosdam certa quadam hora in ſomnum ferri ut inviti etiam eum capeſſere & certa quadam hora evigilare cogantur; nonnullos certa hora alvum & veſicam exonerare. Horum ratio eſt in propatulo? ut quis in cibos ferri queat, neceſſe eſt ſanguinem jam toties circulum ſuum abſolviſſe, tantam jacturam particularum factam tantumque fermenti in ventriculum per tubulos delatum eſſe, quantum rodendo orificium ventriculi ſuperius de cibis ſumendis mentem commonere ſufficit. Id quod clarius adhuc patebit ſi ſupponam ſanguinem in ſtatu ſanitatis duodecies circulare ſuum iter abſolvere, qualibet hora ℈j. fermenti in ventriculum deponi, requiri porro ad ideam famis excitandam fermenti gaſtrici ℥j qua ſecreta elapſis nimirum 8. horis, de ſumendo cibo homo ille iterum cogitabit. Sic conſtare reor qui quarundam actionum in œconomia noſtra interruptæ ſint viciſſitudines, ſtato tempore nunc ceſſantes nunc renaſcentes.

§. 43.

§.43. His prælibatis facilius erit indagare cur ſtato quodam tempore paroxyſmus redeat. Cauſam intermiſſionis febrium ſtatui eſſe obſtructionem (§.41.) in tubulis quibusdam nunc leviorem nunc contumaciorem, ſucci ibidem ſecreti progreſſionem remorantem, eamque tam à preſſione ſuccorum à tergo inſequentium, quam ab eorum acrimonia tandem perforari & denuo ſanguini commiſceri. Supponam proinde humorem illum viſcidum obſtructionem parientem duos habere tenacitatis gradus; porro ſuccorum à tergo arietantium ad obſtructionem perforandam requiri ℥ß. ſingulis vero horis ſucci illius ſecerni à Maſſa ſanguinea ℈ß. ſic elapſis 24. horis ſtato tempore paroxyſmus ingruet, unde febris illa vocatur quotidiana. Quod ſi humor ille viſcidus canalem aliquem obſtruens quatuor habeat viſciditatis gradus, neceſſario duplum in perforanda obſtructione temporis impendet, unde poſt 48. horas novus ingruet paroxyſmus, qui tertianæ nomine venit. Si contingat ut viſcidum illud ſex habeat tenacitatis gradus, triplum temporis conſument humores ſtagnantes in amoliendo tenaci illo repagulo horas ſc. 72. hinc febris quartana, &

ſic

ſic porro. Pari modo pro ratione acrimoniæ vel celerioris vel tardioris circulationis humores ſtagnantes nunc citius nunc tardius obſtructionis clauſtra reſerabunt, ſanguini affluent ac novum parient paroxyſmum.

Morbi febris particulares indagantur.

§. 44. Sic niſi totus fallor febrium intermiſſionis cauſam dilucide explicavi; proximum jam eſt ut demonſtrem, quam infiniti morbi particulares ex hoc generali, perturbata ſcil. mixtione derivari poſſint, quodque illi ſint tantummodo unius arboris ſurculi, in hoc ſaltem diſcrepantes, quod in diverſis locis tyrannidem ſuam exerceant ſecundum plus & minus.

§. 45. Sed aurem mihi vellicat nonnemo in febribus malignis & peſte, quæ ſummus gradus febrium eſt, ſanguinem nullo modo perturbate eſſe mixtum, ſed eum particulis ſpirituoſis & volatilibus abundare ſuſtinens, quia ſanguis è naribus profluens ad coagulationem nullo modo diſponi poteſt, Verum qui rem accuratius perpendit, itidem hunc effectum perturbatæ mixtioni imputabit. Non enim particularum ſeparatio & coagulatio fieri poteſt, quin neceſſum ſit, ut prius diverſi generis particulæ ſibi invicem inhæreant

&

& crassiores fluidiorum poris innatent; si itaque crassiores motum fluidiorum insequi amplius propter angustatos poros nequeant, secedant à se invicem & in coagulum abeant, oportet exemplum nobis præbeat lac, cujus particulis serosis dum libere innatant particulæ caseosæ & butyrosæ nullum coagulationis vestigium apparet; quam primum autem pori angustantur, particulæ caseosæ & butyrosæ amplexus serosarum deserendo ex poris extruduntur, lac dicitur coagulatum. Quicunque igitur hæc modo dicta accurate considerabit, non mirabitur sanguinem in febribus malignis nullo modo ad coagulationem disponi posse, cum in iis sanguinis strues secundum minima in prima sua principia fere est resoluta; unde omnes particulæ seorsim existunt, nullæque amplius cohærent. Qui ergo fieri potest, ut in tali sanguine divortium à se invicem faciant & in coagulum abeant particulæ, cum nullæ sibi commixtæ & conjunctæ sint amplius; quomodo chylosæ, oleosæ, pituitosæ & terrestres ex poris fluidiorum poterunt extrudi, cum iis non amplius innatant.

Dolor capitis.

§. 46. Jam ut appareat quam mille facies Protheus hic induere possit, breviter sym-

symptomata enarrare pergam; in quibus ductum corporis à capite incipiendo sequar. Primo itaque in limine sese offert *dolor capitis* multum sane molestiæ ægris creans, nec ullis remediis facile cedens, nisi prius paroxysmus penitus sublatus fuerit. Sanguis namque istiusmodi perturbate mixtus, acidus scindens per arterias ad cerebrum delatus & alacriter progredi prohibitus in angustissimis cerebri tubulis moram nectit; unde vasa, quæ propter vitiatum particularum suarum situm commode perreptare nescit, distenduntur, premuntur, nec raro ad ruptionem usque lancinantur & roduntur. Hos motus mens nostra percipiens dolere dicitur.

Hemicrania.

§. 47. Evenit etiam non raro ut dimidia saltem pars capitis intensius doleat, facile namque fieri potest, ut sanguis per arterias carotides ad cerebrum deferendus modo per has, modo per illas ramificationes facilius adigi possit; unde eo versus potius à corde propellitur, ubi minorem invenit resistentiam, sicque altera pars capitis à doloribus immunis esse poterit, quod si vero per quasdam ramificationes non æque optatus concedatur transitus, sanguis ille à tergo accedens & continuo transitum urgens

gens vi sibi viam liberiorem parare nititur, tubulosque ampliando diros illos parit cruciatus: Qui si sint continui delirium, phrenitidem & convulsiones minantur.

Vigiliæ

§. 48. *Vigiliis molestissimis febricitantes sæpius cruciantur* eo quod particulæ succi nervosi irregularem situm obtinentes (scindentes & acres puta) à materia subtili in gyrum agitatæ aculeis suis hærent, & trahendo atque vellicando tubulos nerveos ineluctabilem succo nervoso in totum corpus excurrendi imponunt necessitatem, eumque ad assiduam excursionem sollicitant, unde grata œconomiæ negatur quies.

§. 49. Me itaque judice à janua aberrant illi, qui hunc effectum à nimia copia vel subtilitate succi nervosi deducunt. Unde enim quæso insuperabilis illa lassitudo, unde virium prostratio? Quamdiu enim succus nervosus satis subtilis satisque volatilis existit & abundat, homo ad utrumque statum erit indifferens, nec somnus nec vigiliæ modum excedent, cum nulla adsint spicula, quæ succum nervosum rodendo fibrillas nerveas inquietare possint. Ut igitur dicam quod

vires est, vigiliæ illæ molestæ nihil aliud videntur esse quam convulsio aliqua aut spasmus tubulorum cerebri, quo illi servantur aperti & velorum instar expansi à succo illo nervoso impetuose in illos adacto. Vigiliæ si diutius durant, non unum portendunt periculum, præsagiunt enim deliria & convulsiones.

Lethargus. §. 50. Verum si contingit febre quenquam corripi, in qua non tam particulæ acres quam viscidæ prædominium obtinent, succus nervosus similiter crassus tubulos cerebri obstruet ut eos veli instar expandere nequeat, unde illius excursio in corpus sufflaminabitur, & in continuum febricitans propendebit somnum: unde *Lethargus*: in quo cum viscidus ille succus nervosus insuper sit acris, acrimonia sua hinc inde nervos vellicabit ut aliquando expergiscere cogatur, & cum succus ille crassus tubulos cerebri sufficienter irradiare non potest motus illius non nisi lente & interrupti ad animam deferuntur, quæ prout percipit, ita etiam judicat; hinc delira & incondita loquitur. Lethargus fatuitatem, ingenii torporem & non raro apoplexiam prænuntiat.

Phrenitis. §. 51. *Phrenitis* nonnunquam febres con-

concomitatur. Causa tam diri & nefandi mali non minus quam reliquorum symptomatum à perturbata sanguinis commistione dependet: quippe sanguis istiusmodi in cerebrum per arterias delatus facile inflammationes in meningibus, copiosissimis vasis sanguineis gaudentibus, parit, Cumque perturbatus hic sanguis in consensum trahit succum nervosum, fieri non potest quin sublata ejus indifferentia & negato placido versus mentem motu, vestigia cerebro olim impressa turbentur, confuse omnia menti deferantur & diversis illusionibus mens seducatur quibus illa impeditur, quo minus regularem in cogitationibus suis ordinem stabiliri possit; non enim est in ejus potestate ea non cogitare, quæ ipsi repræsentantur. Hinc mens non delirat, quin in toto hoc negotio extra culpam est. Offeruntur namque ipsi variæ, obscuræ & confusæ ideæ, quas recte percipit, quin & de iis recte judicat, in eo solummodo vacillat, quod causam illarum idearum veram non agnoscat, sed putet, cum idem, qui olim sibi offeratur motus, eandem quoque, quæ olim ejus esse causam, id quod tamen falsum est. Sic ubi de jurgiis cogitat, tales revera ideæ ani-

mæ repræsentantur, ut non possit non de iis cogitare; in hoc solum errat mens, quod putet ideas in se excitari à causa externa præsenti, cum excitentur à vestigiis cerebro olim impressis.

§. 52. Inter centum inconcinnia alia, quæ peragunt Phrenitici *floccos legunt*: hujus causa quærenda est in humoribus oculi, quippe à M. S. turbata, turbati etiam deferuntur humores ad oculum & maxime ad humorem aqueum per ductum aquosum primum detectum à *Viro Clarissimo Antonio Nuk Anatomico Dexterrimo, Anatomiæ & Chirurgiæ Professore Lugd. Batavor. Dignissimo, Præceptore meo æternum colendo.* Dum itaque humori aqueo istæ innatant particulæ crassiores, radios ad oculi fundum demittunt, eodem modo ac si flocci ante oculos volitarent. Hæc etiam potest esse ratio quæ magis verisimilis esse videtur, quod quædam retinæ puncta in quibus concurrere debeant objectorum externorum radii convulsione quadam ita intorqueantur ut impressionem illam ex omni parte recipere & menti deferre nequeant.

§. 53. Oculi faciesque Phreniticis rubent, quod sanguis ad vasa capillaria delatus

latus propter turbatam particularum suarum mixtionem in iis stagnat, unde distendendo vasa rubedinem parit. Aliquando inscii & inviti lachrymantur quod convulsione quadam oculorum fibrillæ ita agitantur & concutiuntur ut lympham illam ex glandulis lachrymalibus vi quadam exprimant, quæ fletum constituit. Facile autem oculorum fibrillæ convelli possunt, cum ex Anatomicis notum est, investiri tunica quadam oriunda à meningibus nervum opticum, eumque cum pari nervorum tertio, oculorum motorio infinitas ramificationes in oculi substantiam diffundere: proinde cum ortum suum debet Phrenitis inflammationi meningum, hæc levi negotio nervum opticum, communem cum meningibus tunicam habentem in consensum trahere poterit. Torvi vident, quod convulsis meningibus in consensum trahantur nervi oculorum motorii, pathetici & optici, spasmodiceque convellantur, unde fixo in aliquod objectum obtutu vident.

Convulsiones.

§. 54. *Convulsionibus* sæpe sæpius *agitatur* febricitans. Huic furiæ patrocinatur succus nervosus similiter perturbate mixtus, acris scilicet corrosivus, nervos scindens

dens & vellicans, unde ſublata indifferentia ſuccus nervoſus vi quadam impulſus impetuoſe irruit in nervos muſculosque.

Sitis. §. 55. *Conqueri præterea ſolent de ſiti intenſa*, quod ductibus ſalivalibus obſtructis, ſaliva ſecerni nequit, aut ſi aliqualis adhuc ſecernitur ea glutinoſa, ſalſa acidaque exiſtit, unde à particulis ſalinis acidis nervi, linguæ & faucium vellicantur, quibus continuo vellicatis mens de potu ſumendo indeſinenter commonetur. Impoſſibile enim eſt, ut tardius circulans & perturbatus ſanguis per arterias ad anguſtiſſimos tubulos ſalivales propellatur, ibidem materiam pro Saliva depoſiturus, quin craſſior illa ſit & viſcoſior, & ſi aliquo usque tamen perrexerit, tandem pedem figet obicemque ponet à tergo advenienti lymphæ quaſi os faucesque defraudantur, ſiccitatem contrahunt. Hanc ſalivæ perturbatam mixtionem arguit etiam febricitantium guſtus depravatus, nunc ſalſus, nunc amaricans, nunc dulcis, nunc hunc nunc illum præ ſe ferens determinatum ſaporem.

Aphtæ. §. 56. *Labia, lingua & fauces nunc aridæ, nunc fiſſæ, mox rubræ, mox inflammatæ, ſubinde aphtis obſeſſæ conſpicuuntur.* quarum cauſa eſt ſaliva perturbate mixta & ſecreta

variis particulis heterogeneis inquinata, quæ cum per teneros & angustos illos canaliculos pedem ulterius promovere nequit, in angustissimis illis canaliculis subsistit, tum intestino motu agitata, dilatando & exedendo tubulos, crustam talem parit, adeo ut aphtæ illæ nihil aliud sint in initio, quam incipiens gangræna aut mortificationis prodromus; impedita enim per partes humorum circulatione emoriuntur, & dissipatis flexibilioribus particulis, quarum motu in canaliculos illos intrudebantur, exsuccæ decidunt. Hinc etiam est, quod inspicere linguam assuevere Medici ad prognosin inde formandam: quo enim minus sicca, arida & nigricans est lingua, eo major salutis spes affulget, cum leviorem indicat obstructionem, minoremque turbatam mixtionem. Ubi vero aphtæ nigrescere incipiunt omnia in pejus ruunt; illud enim infallibile est sphaceli indicium totiusque massæ sanguineæ gangrænam præsagit.

Appetitus prostratus.

§. 57. *Appetitus est prostratus*, quoniam nullum fere fermentum per glandulas ventriculi secerni potest, nisi quod eadem labe qua M. S. sit infectum, unde non nisi pedetentim succus viscidus & turbate

mixtus ad ventriculum defertur, qui rodendo orificium ventriculi superius ad ideam famis excitandam & ad cibos dissolvendos impar est. *Nausea & vomitus urget*, eo quod particulæ acres, heterogeneæ, perturbate mixtæ in ventriculo oberrantes vellicant & concutiunt ejus fibrillas; hinc inverso motu peristaltico contenta quævis excluduntur.

Diarrhœa & Dysenteria.

§. 58. *Diarrhæa vel Dysenteria hunc morbum aliquoties concomitatur*; quæ itidem à perturbata mixtione nefandos suos ducunt natales, quippe facile poterit contingere, ut sanguis ille per arterias mesentericas ad intestina delatus propter crassitiem suam & perversum particularum suarum situm, non conveniat cum proportione vasorum, in angustis illis canaliculis moram nectat & inflammationem concipiat, qua particulæ omnes vehementissimo materiæ subtilis motu abreptæ tumultuantur, & impetuosius in vasa involando ea pungunt, rodunt & ad sanguinem emittendum dilacerant. Vel quod per intestinales glandulas secretus succus justo acrior & acidior in fæces primo tyrannidem suam exerceat mox in mucum illum intestinalem, quo tanquam vernice contra humorum acrium inju-

injurias oblinebantur intestina, tandem in ipsas fibras ita denudatas sæviat, easque cuspidibus suis & cultellis pungendo diros cruciatus pariat, nec sævire cesset, nisi prius ruptis tubulis vasisque sanguineis non lympha solum, sed & sanguis ipse per anum ejiciatur.

Alvus adstricta.

§. 59. *Alvus ut plurimum solet esse adstricta*, quia glandulæ intestinales lympham non exspuunt, &, si aliquam adhuc eructant, ea terrestris, glutinosa nec satis fluida existit; qua fæces alvinæ sufficienter irrorari & dilui nequeunt: & quia succus nervosus propter defectum ejusque perturbatam mixtionem sufficienter non irruit in intestinorum fibras, motus eorum peristalticus segnius absolvitur, & cum sæpe contingit intestinorum fibras spasmo affici, fit ut fæces difficulter propellantur, ingratamque moram nectant.

Prostratio virium.

§. 60. Prostratio virium non leve febrium est symptoma, nec omni periculo caret. Dictum est supra perturbatæ mixtionis causam esse vel spirituum in sanguine suppressionem, vel eorum defectum. Quamcunque jam causam accusas, ab ea sanguis in motu suo retardetur, qui jam aliqualem & incipientem stagnationem minatur: De-

ficientibus enim vel ſuppreſſis in ſanguine ſpiritibus, minor eorum copia cerebro ſuppeditatur; qua ſi illud deſtitutum eſt, ſuccus nervoſus minori quantitate & velocitate in nervos muſculosque amandatur, hinc ſegnius ex thalamis cordis ſanguis proſilit, nec niſi teſtudineo paſſu curſum ſuum abſolvit; muſculi quoque ſufficienter ſpiritibus non inflantur, quo fit, ut illi machinam rotatoribus ſuis deſtitutam corruere ſinant. Præterea ſuccus nervoſus in mixtione ſua turbatus, acris, ſcindens & acidus nervos, prout ſupra demonſtravimus, convellit, hoc vitio nervi cordis quoque contacti, ventriculos ejus ad tempus aliquod conſtringunt, unde pulſus intermittens toti œconomiæ exitium minans.

Anxietates circa præcordia.

§. 61. Adſunt anxietates circa præcordia, harum anxietatum cauſa in ventriculo moratur: fluctuat enim in ventriculo fermentum turbate mixtum; quod cum cibos aut contenta quævis alia ſatis exaltare nequit, minus illa rarefiant ac intumeſcant, gravia ac ponderoſa evadant & ad ventriculi fundum deprimantur, oportet; unde influente ſucco nervoſo magna ſubſequitur ventriculi contractio, imprimis cum preſſioni & contractioni illi reſiſtere conten-

tenta nequeant, propter imminutam eorum effervescentiam & intumescentiam. Quoties itaque ventriculus ita spasmodice coarctatur & contenta ejus adeo arcte agglomerantur, ut illi sint oneri, toties inde oriuntur anxietates præcordiorum.

§. 62. Hospitantur interdum in ventriculo humores acres æruginosi & corrosivi à quibus fibræ nerveæ vellicantur & contrahuntur, ut spasmo eas affici diceres; quæ ita affectæ diaphragma aliaque viscera non raro in consensum trahunt comprimuntque. Quod si humores illi acidi perturbateque mixti per vomitum ejiciantur ab anxietatibus istis alleviantur. In febribus epidemice grassantibus, si anxietates præcordiorum quenquam invadant, infectionis signum erit certissimum.

Jactitationes & inquietudines.

§. 63. Jactitationum & inquietudinum non minus, quam reliquorum symptomatum supra recensitorum causa existit turbata sanguinis mixtio. Dictum est §. 25. in turbata sanguinis mixtione transpirationem lædi; eo quod sanguis minus effervescit, minusque rarefit; hinc vasa minus attolluntur & minor est resistentia contra incumbens Athmosphæræ pondus; quod cum prævalet, æquilibrium tollitur, quod con-

constituit contra renitentia succorum fermentantium cum pressione aëris: hinc quantis viribus succorum fermentantium motus imminuitur, tantis pressura Athmosphæræ illi præponderat, ac idem foret si aliquæ vires huic adderentur. Ponamus enim succorum fermentantium renitentiam vocari posse B. & pressuram Athmosphæræ D. dico; si in æquilibrio stant omnia B. esse æquale D. si vero vires B. imminuuntur per C. tum B. minus C. non erit æquale D. sed C. erit differentia. Proinde eadem est ratio qualis B. minus C. ad D. talis etiam est B. ad D. plus C. Q. E. D. Cum jam in minuta humorum fermentantium renitentia pressura Athmosphæræ incrementum sumit, gravissimum illud pondus incumbens ægri persentiunt, non aliter ac si celsissima montium juga ipsis incumberent, quæ corpus hinc inde in lecto jactitando amoliri nituntur; hinc illæ jactitationes & inquietudines. Harum autem causam esse minorem agitationem sanguinis ac proinde transpirationem imminutam evincunt sudores; quibus erumpentibus salva res est: solvunt enim istas jactitationes dum transpiratio augetur, qua aucta liberior jam præsupponitur sanguinis effer-

ve-

vescentia, & ponderi aëreo æqualis sensim opponitur vis resistendi.

Cur febres interdum plus virium simulant.

§. 64. Interdum plus virium simulat febris, ac ita blanditur, ut Medico non raro imponat, quæ febres malignarum nomine veniunt. Hujus rei causa est succus nervosus acris, nervos stimulans, unde in majori copia succus nervosus in corpus ad musculos inflandos amandatur, quam conditio & quantitas succi nervosi alias postularet; id quod in Phreniticis & Maniacis etiam apparet.

Variola & Morbilli.

§. 65. Præter alia adhuc multiplicia symptomata febrem insequentia, hic quoque annectendæ veniunt variolæ & morbilli, symptomata sane acutissima ac gravissima. Solent autem infestare præprimis infantes, utpote quorum sanguis multo succo nutritio multisque lactis recrementis acidis obstructus est: acerbius enim mulctantur illi infantes, quorum Parentes lue venerea vel alio quocunque Morbo Cachectico vel Scorbutico infecti fuere. Ante eruptionem variolarum gravissima urgent symptomata, quæ copiose erumpentibus variolis evanescere solent. Oriuntur autem si sanguis perturbate mixtus propter irregularem particularum suarum situm crassitiem-

tiemque in vasis capillaribus, quæ celeri passu oberrare debebat, stagnat, & à tergo advenienti obicem ponit, qui itidem per vasa capillaria progredi prohibitus, circulum suum per majora & ampliora vasa, quamvis lentius absolvit. Stagnat enim interdum sanguis in aliquibus vasis, dum interim à tergo accedens per vasa lateralia & majora circulum suum obit: videmus id in morientibus, quorum sanguis, dum in extremis stagnare incipit, sensim circulum breviorem describit, usque dum brevissimum suum circulum per vasa coronaria obeat. Idem & hic evenire nullus dubito; stagnare nimirum in extremis tubulorum sanguinem illum crassum & perturbate mixtum, qui à tergo appellenti obicem ponit, ut per vasa lateralia majora circulet sicque breviorem describat circulum. Circuitus hic non in superficie cutis solum brevior est, sed & interdum in omnibus visceribus, quæ itidem copiosis interdum obsidentur variolis, prout testatur experientia Anatomica. Hanc impeditam humorum circulationem evincunt symptomata illa sævientia ante variolarum eruptionem, anxietates scilicet, inquietudines, jactitationes quas ex minori humorum effervescentia & hanc

in-

insequente impedita transpiratione supra distincte deduximus.

§. 66. Dum jam particulæ humorum stagnantium in vasis suis capillaribus motu intestino in se insurgunt, amplius acquirendo spatium, vasa illa distendunt tandemque rumpunt; unde copiosissima illa tubercula prodeunt; quibus prodeuntibus transpiratio augetur, sanguini liberior conceditur circulus, particulæ stagnantes propelluntur; urgentur & sensim sine sensu sanguini adhuc liberior per vasa sua capillaria conceditur transitus; quo jam obtento, gravissima illa symptomata mitigantur, omnesque particulæ ad priorem in mixtione situm obtinendum contendunt. Si vero variolæ denso agmine non erumpunt, documentum est sanguini deesse robur ad stagnantes humores propellendos, sanguinis circuitus sensim tardius & brevius absolvitur, transpiratio minor evadit, fermentatio suffocatur, stagnantes in vasis capillaribus humores syderantur, tandemque tota Massa sanguinea eadem labe inquinatur. Hæc, quæ modo dicta sunt de Variolis, non incommode, ut opinor alius generis pastulis, maculis & tuberculis in febribus prodeuntibus applicari possunt quippe similium similis est ratio.

§. 67.

Cur nonnulla symptomata finito paroxysmo suapte sponte tollantur.

§. 67. Sunt præterea adhuc multo plura symptomata febres concomitantia; sed hic studio filum abrumpo, persuasus reliqua ex antecedentium enodatione facili marte deduci posse. Antequam vero ad curam propero, unicum adhuc discutiendum restat, cur nonnulla symptomata utpote dolor capitis, sitis, anxietates, &c. nullis remediis morem gerant sæviente paroxysmo, eo autem remittente suapte sponte cessare soleant? Diximus causam illorum symptomatum esse turbatam sanguinis mixtionem; unde necessario symptomata tam diu durant, quamdiu causa eorum sævire perseverat: non semper autem sanguis in perturbato illo statu potuit permanere, quin à materia subtili particulæ ejus perturbatæ regulari ordine tandem inter se iterum agitentur, transpiratio augeatur & circulatio promoveatur; particulæ prædominium in sanguine obtinentes ab aliis subjugentur; quædam compedibus aliarum particularum detentæ, sui iterum juris evadant, nonnullæque ab aliis seorsim existentes, mutuum iterum particularum suarum ineant conjugium sicque turbata sanguinis aliorumq; humorum mixtio iterum restituatur qua restituta, quid mirum, dum

dum causa tollitur, tolli etiam effectum?

§. 68. Jam videndum quid salutis, quidve periculi nobis portendat febris. Inspicienda ergo erit urina, quæ cruditatis ac coctionis signa nobis indicabit. In intermittentibus sic dictis, quo citius & perfectiora fermentationum signa apparent, eo brevior erit febris; sin minus, febris longitudo, recidiva aut degeneratio in alium morbum cachecticum metuenda erit, v. gr. Hydrops, Leucophlegmatia, Icterus, Hectica. Si Appetitus viget absque levamine, aut ab ingestis alimentis ventriculus inflatur & crebriores ructus erumpant, recidivæ metus est. Urinæ sanorum simillimæ cæteris paribus malæ sunt, ut & aqueæ quales in Phrenitide observantur: indicant enim imminutam sanguinis fermentationem ejusque omnimodam coagulationem; unde crassioribus combinatis & in sanguine relictis, serum tantummodo secedit, ut in lacte coagulato apparet. Quo pulsus magis est æqualis & major, eo melius sese res habet. Inæqualis vero aut intermittens, periculosus. Frequentes in febribus lypothymiæ periculo non carent. Delirium si post somnum cessat & erumpentem co-

Prognosis.

piosum sudorem, salutare; sin minus contra, Tensiones in carpis & pavores convulsiones prænuntiant. Maculæ, pustulæ, Variolæ copiosæ, elatæ & rubræ salubres; sanguis enim minus existit perturbatus & transpiratio minus est læsa, sufficienti quoque robore pollet, ac circulum suum alacrius obire contendit; hinc ut supra dictum est stagnantes in vasis capillaribus humores urget ad circuitum suum obeundum, quem tamen cum obire nequeunt, pressioni sanguinis morem gerunt quæ eas effert & è corpore eliminare satagit, hinc transpiratio magis magisque augetur & turbata particularum mixtio sensim restituitur, quapropter salutem Medicus annunciare poterit. Maculæ vero lividæ, cœruleæ, latæ, depressæ nigricantes, paucæ cum ingravescentibus symptomatibus, aut subito disparentes instantem gangrænam certissime prænuntiant. Sanguis enim propter imminutam fermentationem circulationemque stagnantes humores propellere nequit, transpiratio magis magisque supprimitur, ulteriorem contrahit in mixtione sua turbationem sensimque minorem describit circulum, usque dum mini-

nimum obeat tandemque subsistat. Si æstus remittit absque euphoria periculosum est, Massa sanguinea enim ad gangrænam vergit; videmus id in inflammationibus aut febribus particularibus, ubi si dolor & æstus remittit absque levamine ægrotantis, quod gangrænæ sit indicium. Proinde si in febribus, quæ est (liceat ita loqui) universalis totius massæ sanguineæ inflammatio, æstus remittit absque mitigatione reliquorum symptomatum, totalem sanguinis perturbationem & resolutionem in prima sua principia ex quibus est compositus, suspicare licet. Hinc hoc sequitur Theorema, quo febris magis blanditur, eo majus periculum imminere innuit; cujus resolutio ex (§.64.) ex parte etiam peti poterit. Convulsiones ante eruptionem variolarum aut aliarum macularum non terrere debent Medicum, quippe impedita transpiratione humores stagnantes nervos musculosque convellunt, qui contracti quovis modo humores istos comprimunt & propellunt, donec copiose erumpentibus variolis transpiratio iterum augetur, humores liberiorem transitum inveniunt & sic convulsiones tolluntur. Indices namque sunt sanguinem adhuc gaudere multis parti-

ticulis volatilibus, spirituosis, quarum motu intestino particulæ reliquæ inter se effervescerent & suapte mixtionem priorem inirent, nisi transpiratio propter stagnantes humores in vasis capillaribus fuisset impedita. Diarrhæa aut dysenteria si superveniat efflorentibus jam maculis lethale; imminuitur enim transpiratio, quæ hic summopere est necessaria. Excrementa alvi nigricantia & fœtida sunt ominosa.

Cura generalis in quo consistit.

§. 69. Jam suppetias laturi febricitantibus paucis indigitandum erit, in quo cardo curationis feratur. Nos omnibus in id viribus incumbendum esse putamus ut turbata sanguinis mixtio restituatur, ejusque particulæ mutuis vinculis & amplexibus se iterum detineant; ut sanguinis motus circularis intendatur, obstructiones tollantur, fermentum febrile corrigatur & enervetur, aut si corrigi nequeat, convenienti evacuatione è corpore eliminetur, & tandem symptomatum urgentium exacta habeatur ratio.

Crisis otiose non est exspectanda.

§. 70. Non itaque hic solius naturæ (sit venia huic verbo) erimus spectatores otiosi, ut eam tum demum in medendo incedamus viam, quam illa nobis facta crisi ostendet: Sed præstet hic naturæ conatus me-

medicamentis convenientibus anticipare, quam otiose naturæ conamen exspectando ægrum omni auxilio destitutum sibi relinquere. Non ita enim indiget æger ope Medici facta jam crisi, quam ante: si enim illa salutaris existit, illa sanguinis robur ostendit, & bonis avibus sui curam & restitutionem absque usu etiam medicamentorum prædicit; sin vero facta crisi, ubi omnia in pejus ruunt, tum demum naturæ, ut ita loquar, succumbenti succurrere velit Medicus, raro medicamentorum suorum optatum habebit successum. Proinde si quis verus naturæ minister esse contendit, non spectatorem sed actorem agat, ut turbatam humorum mixtionem non attendendo crisin restituere sibi serio proponat: Qui enim medicamentis convenientibus eam restituere satagit, naturæ nullo modo contrariabitur, sed felici ausu ejus conatus semper adjuvabit.

Acida, julapia refrigerantia pessimo consilio præscribuntur.

§. 71. Qua vero fronte acida, julapia, refrigerantia pessimo consilio à multis in usum vocata perturbatam humorum mixtionem restituant unicuique nisi obesæ admodum naris fuerit, subolere poterit. Nihil videlicet aliud talia præstare possunt, quam incalescentem & in vasis minoribus

tumultuantem ſanguinem incraſſare eumque omni conatu ſeſe expandendi privare; unde ortæ à calore febrili moleſtiæ pro tempore quidem ſopiuntur meliusque ſe habere videntur ægri. Verum ſi quis ea, quæ (§. 31.) dixi, accurata animi lance perpenderit, in ſtatu ſc. frigoris cæteris paribus ſanguinis circulationem eſſe tardiorem majoremque mixtionis turbationem, quam in ſubſequente æſtu febrili, ubi omnia ad priorem particularum mixtionem contendunt, facile mecum concludet, ſi acida plenis rictibus aſſumuntur, calorem aliquantulum remittere in ſanguine, minoresque ab eo percipi moleſtias, verum eum inſuper in mixtione ſua denuo inchoanda iterum turbari & in priorem ſtatum frigoris puta delabi. Hinc paroxyſmi fiunt longiores, & paulo poſt atrocius & acerbius mulctantur. Ex hoc etiam eorum uſus nobis ſuſpectus redditur, quod ſanguinis motum progreſſivum ac inteſtinum ſufflaminando tranſpirationem impediant, à qua toties œconomiæ noſtræ ſalus dependet; hanc in omnibus febribus jam dum impeditam adhuc magis impedire velle, oleum eſſet addere camino. Ecquis proinde non videt eorum uſum eſſe

pro-

proſcribendum, cum omnes fere febres præſertim continuæ & malignæ ſudore finiuntur, qui adeo neceſſarius eſt, ubi excretio cutanea exſpectanda, ut, eo ſuppreſſo, æger in ſummo verſetur diſcrimine.

Purgantia nihil faciunt ad turbatam mixtionem restituendam.

§. 72. Sed quodnam de Catharticis hic eſt ferendum judicium? Illa ipſa fatentur ſe nihil ad turbatam mixtionem reſtituendam valere, quia non niſi turbando operationes ſuas exſerunt & in ſtatu etiam naturali artificialem febrem excitant. Purgantia ergo in febribus commendare eſt malum malo, febrem febri addere, ægrumque in deteriorem ſtatum conjicere. Dein cum tranſpiratio adeo eſt neceſſaria, eamque promovere ſit boni & ſeduli naturæ miniſtri male ille ſuis ægris conſulit, qui eam impedire allaborat; impedit autem, ſi purgantia propinat, dum illa ingentem humoris lymphatici quantitatem per anum eliminando minorem quantitatem tranſpirare faciunt: quantum enim aliqua in œconomia noſtra excretio intenditur, tantum altera neceſſario imminuitur, id quod unusquisque apud ſe experiri poterit tempore hyberno ubi tranſpiratio minor eſt, largius effluere urinam, quam tempore æſtivo, ubi major eſt tranſpiratio. Omnibus tandem Medicis male audiunt purgantia in febribus

malignis & ubi excretio cutanea exſpectanda. Quod ergo abſolute nocet in febribus periculoſis ubi major eſt turbata mixtio, illud etiam in minus periculoſis, ubi minor eſt turbata mixtio, etſi non in totum, ſaltem in tantum nocebit.

Venæ ſectio relegatur.

§. 73. His ex antifebrilium catalogo relegatis jure quodam annectenda venæſectio non minus quam præmemorata febricitantibus exitioſa; id quod ad unum omnes uno ore in febribus malignis variolis & peſte affirmant practici. Verum ſi in hoc gradu febrium ea eſt ominoſa, quidni & in reliquis, cum febres inter ſe non differunt, niſi ſecundum plus & minus? Quod igitur uni erit plus exitioſum alteri erit minus, nec proinde hoc minus omni carebit exitio. Dein annon febres malignæ interdum ſimulant continuas mixtiones ac ita blandiuntur primis diebus, ut ægrum omni periculo exemtum diceres, cum tamen poſt aliquot dies malignitas ſe prodit? Ecquis proinde tam perſpicax eſt, ut illud ſemper poſſit prænoſcere, ſin nemo, an non ſæpiſſime in eo error non ita facile in curriculo morbi corrigendus committetur: Præterea docet experientia practica non raro in febribus, quas pro continuis ſic dictis habue-

buerunt Medici venæ sectionem esse celebratam, cum tamen postea innotuerit febres illas fuisse malignas, adeoque vel ex hoc solo venæ sectio negligenda esset. Tandem cum cardo totius curationis in eo fertur, ut turbata sanguinis mixtio restituatur, non video quid commodi ex venæ sectione sit hauriendum; turbatum enim ulterius turbabit sanguinem, dum non parum particularum volatilium exhauritur, quibus ille destitutus, minus agitatur & commovetur, unde transpiratio impeditur & raro perfecta crisis exspectanda venit; quin æger debilitatus, aut succumbat, aut in alium incidat morbum cachecticum, quo cum ipsi sæpe ad aliquot annos aut ad dies vitæ est colluctandum. Imo ausim asseverare multos potuisse à febribus liberari absque etiam usu medicamentorum, nisi vena ipsis fuerit secta; sic enim sanguis eorum non fuisset enervatus, qui sufficienti adhuc quantitate spirituum gaudens horum beneficio turbatam suam mixtionem ipse restituisset. Sed cum febricitantes sæpissime conqueruntur de lassitudine membrorum, difficili respiratione, anxietatibus, annon hic venam secare licebit, ut sanguis amplum magis spatium acquirendo liberius

 obeat

obeat circulum suum? Sed qui ea attente considerabit, quæ supra (§. 60. 61. 62. & 63.) diximus facile concludet alia hic prorsus indicari medicamenta inferius proponenda.

§. 74. Non tamen dissimulem junioribus Medicis, quin Autor iis exstitero, ne antequam hominum animos exploraverint audacter aliquid moliantur. Quod si illos venæ sectioni favere & patrocinari animadvertant, demonstratis prius inde oriundis malis eam, parce tamen celebrent; sic si secus alea ceciderit, omnem malevolis calumniandi occasionem dabit: Nunquam enim amplam sibi praxin polliceatur Medicus morosus, utut rectius sentiat; dandum tamen est aliquid opinioni vulgi, à qua fere sors tota nostra dependet. Aliter vero res sese habet, ubi Medicus jam famam æquam hominumque existimationem de se conciliaverit, tum ne latum unguem quidem in vulgi gratiam á recta medendi methodo deflectere opus habet, quin scapham, scapham dicat, calamitates inde ortas plumbeæ plebi obtrudat: Sic omni negotio autoritate pollens Medicus præjudicium de venæ sectione conceptum in febribus felici evellet sydere.

§. 75.

Vomitoria laudantur.

§. 75. Ut ergo dicamus quod res est, non dubitamus vomitoria in omnibus fere febribus esse præscribenda, præprimis in initio, cum non solum fermentum ventriculi turbatum, aliasque viscíditates in eo fluctuantes eliminant, sed & succos viscidos & perturbatos & ductu pancreatico, choledochio, intestinis aliarumq; partium glandulis hærentes excutiant & concussione istiusmodi obstructiones hinc inde natas reserent. Non est proinde, ut cum meticulosis nonnullis ab iis nobis metuamus, quin utroque illa pollice approbantes dicimus non raro plurimarum febrium radicem unico præscindi vomitorio, idque in continuis & malignis æque ac intermittentibus. Nec metuat sibi quisquam tum etiam propinare vomitorium si ægri sua sponte vomant: indicium namque est in ventriculo sedem suam habere fermentum febrile, in eoque fluctuare humores acres & viscidos unico non raro tollendos vomitorio. Audacter ergo hoc in casu illud propinare licet, si cætera saltem respondent. Maxime autem tum judicantur esse necessaria ac proficua si conqueruntur de anxietatibus præcordiorum cardialgia, sapore oris amaricante, nausea & visciditate salivæ:

quæ

quæ signa si apparent, in febribus etiam continuis & malignis tam sub initio, quam incremento, tuto vomitorium conducit; quo propinato omnium febrium symptomata mitius affligent ægros, & morbus in herba quasi supprimetur. Ratio tamen est habenda virium, ne plus noceamus, quam prosimus; quamvis ad blandum vomitorium tantæ vires non requirantur, quin facile tantis adhuc valeat viribus æger ut illo ferendo par existat. Propinanda autem sunt duabus vel tribus ante paroxysmum horis ut vel paulo ante vel sub initium paroxysmi operentur, & fermentum febrile massæ sanguineæ tum commiscendum per glandulas ventriculi vel pancreatis vel intestinorum vel ubicunq; hæreat, ejiciatur.

Diaphoretica volatilia.

§. 76. Cæterum omne curationis punctū ferunt salia alcalia fixa & volatilia, terrea, oleosa, aromatica, eorumq; tincturæ & spiritus, ex quibꝰ pro lubitu variæ possunt concinnari formulæ. Inter hæc non ignavam ferunt opem diaphoretica, præsertim ea, quæ sale volatili aromatico aut oleoso constant, nec non particulis levioribus facili fuga motum materiæ subtilis insequentibus, quibus sanguinem illum crassum agitant & imminutam particularum effervescentiam augent: Dum enim particulæ illæ majus re-

quirunt ſpatium ad motus ſuos circulares deſcribendos, craſſiores reſolvuntur & ſpiritus in ſanguine ſuppreſſi ſui juris iterum evadunt; qui miſti compagem laxiorem reddunt, viſcoſas veluti lanam laxiorem explicant & vires acquirunt ſeſe defendendi contra preſſuram Athmoſphæræ; nonnullæq; interea particulæ ex conſortio aliarum excluduntur, quibus avolandi libera conceditur poteſtas, ſicque tranſpiratio augetur, qua iterum aucta meliora ſperare tuto poſſumus.

§. 77. Inſuper per blandam hanc particularum commotionem, quam volatilia & in ſpecie diaphoretica maſſæ ſanguineæ inducunt, particulæ in mixtione ſua turbatæ amplum ſatis acquirunt campum ſeſe commiſcendi, digerendi & mutuum iterum cum aliis ineundi conjugium; ita ut acidæ ab aliis temperentur, viſcoſiores à volatilibus & ſpirituoſis attenuentur, verbo, craſſior & perturbatus ſanguis fluidior redditur, ut inoffenſo pede per omnes corporis tubulos circulum ſuum ſubire poſſit.

Optima contra inflammationes remedia, ſunt etiam optima antifebrilia.

§. 78. Hunc volatilium & ſpirituoſorũ effectum videm9 in inflammationib9 aut febribus particularibus, quibus iiſdem medemur medicamentis. Proinde ſi inflammationib9 volatilia, ſpirituoſa omnibus aliis palmam

præ-

præripiunt, quidni & in febribus, non neglectis tamen aliis, eandem mereantur laudem? quod enim in febri particulari erit proficuum, illud & in universali non erit contemnendum. Docuit namque experientia optima contra inflammationes remedia, esse etiam inter optima antifebrilia numeranda: ut unicum tantum in medium proferam, Camphora est, quæ odore suo penetrantissimo egregium de se spargit sal volatile oleosum, adeo ut illi simile quid in omnibus regnis non inveniatur; est illa perfectissimum concretum, in quo sal volatile & oleum tam intime sibi invicem sunt unita, ut hactenus neque ab arte neque natura perfectius sal volatile oleosum nobis innotuerit. Quod cum primo experientia innotuit inflammationibus mederi, inter arcana relatum est, eo quod stupendos non raro effectus, contrariante ipsorum ratiocinio, edidit; hinc suspensa manu & in extremo casu saltem applicatum fuit. Jam autem experientia practica nos docuit, simulque confirmavit ratio, quod non solum in levioribus, sed & in majoribus & periculosioribus inflammationibus conducat, omnibusque aliis palmam præripiat. Ut externe, ita & interne usus camphoræ in febri-

bribus malignis & pestilentialibus est laudatissimus: quippe clamant practicorum libri, nulla remedia in his morbis absque camphora esse propinanda: Camphoram in morbis malignis tam præservative quam curative non habere simile: Medicum in peste camphora destitutum esse instar bellatoris sine gladio; quare & eam promiscue suis alexipharmacis conjungunt. Quod si ita est, satis apparet optima contra inflammationes remedia, esse inter optima antifebrilia numeranda. Sed an usus ejus tantus etiam est in febribus intermittentibus & continuis ac malignis? Imo sane præmissis interdum universalioribus: cum enim pestis est summus gradus omnium febrium, sane qui hunc curare novit, is etiam minorem curabit; ac idem plane mihi videtur fore, si quis majorem inflammationem curare posset, leviorem autem tollere nesciret, qui enim potest majus, potest etiam minus.

Alcalia fixa.

§. 79. Hæc cum dicta sunt de volatilibus & in specie diaphoreticis volatilibus, quid de fixioribus censendum sit, paucis expediamus. Sane horum usus etiam est egregius dum fermentum illud acidum, quod causam febrium esse (§. 18.) statui absor-

ſorbent & in poros ſuos recipiunt, turbatorem maſſæ ſanguineæ deſtruunt & evertunt: Præterea dum fermentum illud non raro hæret in primis viis diutius illa in iisdem, quam volatilia morando, quod acidum eſt, quod viſcidum corrigunt & alterant: Præprimis autem hoc efficiunt ſalia fixa & digeſtiva dicta, quæ fomitem febrilem acido-viſcidum reſolvunt & in minimas particulas dividunt. Inſuper ſpiritus in ſanguine ſuppreſſi à fixis illis ſive terreſtribus, ſive ſalinis iterum liberantur, pari modo ac videmus in ſale ammoniaco compoſito ex acido & ſale volatili; hoc ab illo ita ligatum eſt, ut abſque additione tertii alicujus nullo modo poſſit liberari: quam primum autem tertium aliquod utpote ſi ſal fixum adjicitur, ſal volatile ſalis ammoniaci ab acidi conſortio liberatur & per deſtillationem prodit alcali illud puriſſimum ſpiritus ſalis ammoniaci. Eodem modo ſi ab acido ſpiritus in ſanguine ſunt ſuppreſſi, uſu fixorum ſui iterum fiunt juris & reſtitutionem turbatæ mixtionis moliuntur.

§. 80. Hæc fixa imprimis terrea, calcinata, quibus & annectam corticem peruvia-

vianum citiſſime quidem ſebres profligant, dum fermentum febrile in poros ſuos recipiunt & quaſi imbibunt. Verum ſi iis ſolis aut maxima ex parte curam febrium aggredi conaris, potius ſupprimitur, quam curatur febris: Conſtant enim horum particulæ ex gravioribus & difficilis reſolutionis, quæ activitatem fermentorum enervant & obtundunt; unde ventriculus ejusmodi generis particulis obrutus, quicquid fermenti ex maſſa ſanguinea in eum defertur, enervatur & obtunditur, & particulæ illæ terreæ acido aliquo ſaturatæ in concretum aliquod exſurgunt alumini haud abſimile. Teſtantur etiam annales Medicorum terreæ & præprimis corticem peruvianum debilioribus ventriculis non eſſe propinandum; id quod ratio etiam confirmat: Qui enim debiliori ſunt ventriculo fermentum habent minus activum, quod facili negotio à terreis illis obtunditur; unde quantæ ex obtuſiori fermento in œconomia excitari poſſunt calamitates, neminem latere poterit: quippe febres hac ratione profligatæ ſæpiſſime recidunt, aut multiplicatæ redeunt: & quid mirum, ſi fermentum febrile è corpore non eſt ejectum, nec legitime iterum cum aliis particulis mixtum, facile negotio à vin-

 culis

culis illis terreis ſe liberabit & priorem ludet tragœdiam. Præterea ſi in diæta error aliquis committatur fermentum ventriculi obtuſum minus attenuabit alimenta, quæ degenerando in paſtam acido-viſcidam novas in ſanguine turbas excitabunt, aut febres reddent diuturniores, aut alios morbos cachecticos producent, dum terrea illa maſſam ſanguineam graviorem faciunt, & ad intumeſcendum & efferveſcendum ineptiorem. Rationi huic calculum addunt puellæ nitido colori ſtudentes, cretam aliaque terrea plenis buccis devorantes, ſed brevi poſt dignas temeritatis ſuæ luunt pœnas: præter enim colorem pallidum & cachecticum cruciantur torminibus abdominis, totum corpus languet, florem ſuum menſtruum ſupprimunt, imo infinita ſibi mala accerſunt.

§. 81. Nihil autem quicquam horum eſt metuendum, ſi terreis illis & cortici peruviano ſalia alcalica fixa aut digeſtiva commiſcentur, & volatilia iis interponuntur: Sic enim non ſolum fermentum febrile abſorbetur & concentratur, ſed etiam concretum inde reſurgens attenuatur & reſolvitur, neq; fermentum ventriculi obtunditur & enervatur, ſed activitatem ſuam reti-

retinet; nec massa sanguinea gravior evadit, sed volatilibus illis, tanquam totidem calcaribus, impulsa, motum particularum intestinum & progressivum intendit, particulæ perversum in mixtione situm obtinentes, naturaliter iterum collocantur, circulatio augetur, & transpiratio felicius promovetur.

§. 82. Commode autem propinantur diaphoretica, sive volatilia sive fixa, duabus vel una hora ante paroxysmum: sic enim perquam optate massæ sanguineæ commiscentur. Quod, ut clarius appareat, in memoriam revocanda sunt ea, quæ supra (§. 38.) & seqq. de causa intermissionis febrium diximus: scilicet esse fermentum aliquod acidum stato tempore à latibulo suo prorumpens, & sanguini se confundens, qui minus habet particularum volatilium, spirituosarum, fixarum, quam ad æquipollentiam illarum particularum acidarum requiritur. Ex his itaque patet, nullum dari tempus commodius pro usu diaphoreticorum, quam illud proxime ante paroxysmum: Sic enim, dum fermentum illud febrile massæ sanguineæ incipit commisceri, medicamenta illi occurrunt, quæ non raro opponunt ad justam æquipollentiam æ-

qualem quantitatem particularum volatilium, à qua illud ſubigi & temperari poteſt, ita ut ſanguis particulis ſpirituoſis præmunitus vim fermenti infringere, & injurias inferendas declinare poſſit. Præterea licet diaphoretica cum fermento febrili ſimul ac eodem tempore ad maſſam ſanguineam non perveniant; ſi modo prius illi commiſcentur, egregium etiam de illis ſperare licebit effectum; & niſi paroxyſmus penitus tollatur, omnia tamen ſymptomata mitius affligent; frigus & calor erunt magis temperati, eo quod particulæ ſanguinis ſpirituoſæ in conſortio particularum medicamenti fortius reſiſtant fermento illi; unde tantam moliri nequit perturbationem. Sic tandem ſenſim, ſublata perturbata mixtione, tollitur febris, ceſſat pulſus frequentior, quia ſanguis rite efferveſcit, cordis parietes magis dilatat, ejusque frequenti compreſſioni reſiſtit, alacrius in arterias proſilit, celeriusque circulum ſuum abſolvit.

§. 83. Sed antequam curam ſymptomatum aggredior, de opii in febribus uſu nonnihil dicam. Conſtat autem opium ſale volatili, oleoque craſſo; hujus ratione ſtupendos illos edit effectus, quippe

pe nullum datur acidum, nec ſal volatile quod eosdem aut ſimiles producat effectus. Quales tamen à fumo candelæ aut lampadis extinctæ experiri licet, utpote qui conſtat oleo craſſo, quod flamma extincta minus attenuatur; unde etiam eſt, quod propter craſſitiem ſuam in ſenſus incurrat. Secus autem contingit ſi fumus ille à flamma attenuatur & reſolvitur, neque in ſenſus incidit, neque prædicta ſymptomata producere aptus eſt. Hæc cum ita ſint, à ſimili concludimus operationes opii dependere ab oleo craſſo; quod dum aſſumitur & in ventriculo reſolvitur fermentum illius involvit, dein ad ſanguinem delatum dum ulterius reſolvitur, ramuli illius ſe expandunt, qui ſalia ſpiritusque à fermentatione reſoluta, involvunt, quo minus ſanguinis ſtrues in ſe invicem inſurgere & effervescere poſſit. Hinc ſpiritus in ſanguine exultantes ſupprimuntur craſſiores & pauciores in cerebrum deponuntur, qui nervos obſtruendo impediunt, quo minus veloci curſu in corpus ruere poſſint. Hoc dum fit, ſegnius è corde propellitur ſanguis, pulſus tardior evadit, & circulatio impeditur: impediri autem ab uſu

opii humorum circulationem, documento nobis ſunt vulnera, quæ minus puris aſſumto opio effundunt. Nec eſt, ut multis demonſtrem, qui particulæ oleoſæ fermentationem ſupprimere valeant, cum id panificium nos doceat in placentis illis butyraceis conficiendis, quibus tum demum butyrum additur, ubi fermentatio aliqualis jam peracta eſt, ne hanc impediendo, earum intumeſcentiam impediat.

Opium tranſpirationem impedit.

§. 84. Præterea opium, licet ſudorem promoveat, tranſpirationem tamen impedit, quia ad hanc augendam requiritur humorum reſolutio & attenuatio, quam opium nullatenus auget, dum fermentationem & motum ſanguinis ſupprimit; quare ſegnius à miſti compage liberantur humores tranſpirandi & imbecillius à tardiore circulatione ad ſuperficiem cutis propelluntur; qui cum aliquam moram ibidem nectant, condenſantur, ita ut ſub forma vaporis ſenſilis erumpant. Simile quid experimur, ſi quis ſub ſole æſtuante diu ambulat, quod copioſo adeo ſudore non diffluat, quam ſi ex ſole in locum opacum ſe recipit & membra ad quietem componit: tum enim copioſiſſimus erumpet ſudor, totumque corpus diffluet. Manifeſto indicio tran-

transspirationem majorem fuisse, cum membra fuerunt agitata & æstuantibus solis radiis exposita; insensibiliter enim tum humores transpirabant absque ulla remora, qui deinceps quieto corpore sensibiliter erumpebant. Proinde, licet opium sudorem augeat, transpirationem tamen nihilominus impedit, cum copiosi sudores nullo modo transpirationem auctam evincant.

§. 85. His præmissis, quid de usu opii in febribus sit sentiendum, facile est colligere. Cum enim suppressi in sanguine spiritus sint liberandi, imminuta particularum effervescentia augenda, circulatio promovenda, & transpiratio liberior reddenda, quis non videt, opium hisce indicationibus neutiquam satisfacere? quin potius massam sanguineam magis turbari & in gangrænam desinere. Docuit namque nos experientia, quod opium inflammationibus nonnunquam impositum ad dolores mitigandos, gangrænam intulerit; nulla alia de causa, quam quod spiritus ab ipso suppressi, & particularum effervescentia & transpiratio impedita fuerit, donec omni particularum agitatione cessante omnimoda earum, in mixtione sua, destructio tandem inferebatur. Hunc si opium in in-

flammationibus producit effectum, sane & illum in febribus producere aptum natum erit; hæ enim nihil aliud sunt, quam inflammationes universales. Præterea, si optima contra inflammationes remedia, sunt etiam optima antifebrilia, certe etiam hoc erit verum: pessima in inflammationibus remedia, sunt etiam pessima in febribus. Taceo jam ipsi Barbette theriacæ usum in febribus malignis fuisse suspectum. Sed cum non raro symptomatum urgentium habenda si ratio, & tantis sæpe crucientur doloribus ægri, ut Medico quasi extorqueant opium, usus ejus non plane poterit interdici, quin suspensa manu illud porrigatur, necesse sit: nunquam tamen solum, sed cum aliis mixtum, v. gr. volatilibus & spirituosis propinandum, quæ suppressionem spirituum impediendo, circulationem & transpirationem conservant; hinc etiamnum laudabilem sortietur effectum, dum acidum, dolorum causam, ramulis suis involvit.

Cura particularis.

§. 86. Demonstravimus jam supra, quam multorum morborum fœcunda parens existat turbata mixtio, digitoque quasi

quasi innuimus, horum morborum curam in curatione causæ generalis consistere; qua sublata sponte sua cessare solet, quicquid à perturbata mixtione productum est: Verum evenit non raro, ut, posthabita cura generali, symptomatibus mederi teneatur Medicus, quæ sæpe primarium mentiuntur morbum, ut, nisi succurratur ægris, morbis succumbant, antequam causa generalis tolli possit. Sedulo tamen cavebimus in cura morborum particularium, ne illos curaturi, causam generalem exasperemus. Eum itaque in medendo filum prosequemur, quem in explicatione symptomatum secuti sumus.

§. 87. In vehementi dolore capitis seq. pulvis propinari potest.

Cura Cephalalgiæ.

℞. Sal Absynth. ℈j.
Vol. Corn. Cerv. ℈ß.
Camphor. gr. v.
Bezoard. mineral. ʒß.

M. F. Pulv. dividend. in 3. dos. Assumat æger singulis duabus horis unum. Vel Seq.

℞. Antim. diaph. ℈j.
Croci.

Cinnab. antim.
Tart. Vitriol. gr. v. M. F. P.

§. 88. Si his obtemperare nolit contumax malum, addi poteſt laud. opiat. gr. j. vel ij. Vel

℞. Salis vol. Succini ℈ß.
Camphor.
Caſtor. an. gr. iij.
Ocul. canc. gr. xv.
Laud. opiat. gr. j. M. F. P.

§. 89. Seq. quoque mixtura, cochleatim danda, non erit inconveniens.

℞. Vini Malvatici.
Aq. Beton. an. ℥jß.
Tinct. Caſtor.
Croci an. ʒß.
Elix. vit. ℥ß.
Camphor. ℈ß.
Ocul. Cancr. ʒj. M. F. Mixt.

Vel:]

℞. Vini Generoſ. ℥iij.
Tinct. Succin.
Matric.
Anod. vol. an. ʒj.
Antimon. diaph. ʒß,
Spir. Herl. Baſil. ℥ß. M. F. Mixt.

His aſſumtis ad ſuoorem blandum ſe componat patiens, quo erumpente obſtructiones

nes tolluntur, turbata particularum mixtio restituitur & transpiratio augetur.

§. 90. Hæc de internis dicta sufficiant, cum pro circumstantiarum ratione variari possint. Jam, quid valeant externa, paucis expediam. Fugienda autem sunt cane & angue pejus omnia frigida, neque cum imperita multitudine aqua rosarum actu frigida applicanda: quamvis enim, ut ita loquar, in potentia sit calida, frigus tamen actuale plus damni infert, quam ejus volatilitas emendare potest. Cum enim dolor à perturbata mixtione & obstructione in angustissimis canaliculis, nihil absurdius excogitari potest, quam frigidis epithematibus poros magis constringere, tubulos obstruere, insensibilem transpirationem sufflaminare, oleumque addere camino. Non dicam jam de noxiis, quas sibi contraxere ægri, à præpostero frigidorum usu: Hoc saltem innuam, parum præsidii in externis situm esse, & sufficere si integumentis caput probe foveatur. Sed si efflagitet necessitas, Autor tibi ero, ut calida, non frigida, applices: circumstantes enim interdum id postulant, multumque iis tribuunt; sic si famæ suæ consulere, & circumspectus audire velit Medicus, in gratiam

tiam eorum regioni dolenti seq. imponat.

℞. Spir. Vin. Camphor. ℥ij.
Matric. ℥ß.
Aq. Major. ℥j. M.

Applicetur calide linteis dupplicatis. Hunc etiam in finem herbæ recentes Major., Puleg., Basilic., flores Betonic. Papav. erratic., Spir. Vini Camph. aut Matric. irroratæ, parti dolenti applicari possunt.

Cura Vigiliarum. §. 91. Vigiliæ si sunt ægrotantibus molestæ, cave cum veteribus acida, julapia & refrigerantia præscribas: natus enim error ille exinde, quod causam vigiliarum à nimia quantitate spirituum deduxerint, nec non à particulis biliosis in cerebro ferocientibus: verum cum errorem hunc supra discussimus, absorbentibus, volatilibus, oleosis, tandemque si necessitas postulaverit, opiatis curam aggredi conabimur. Proinde

℞. Sal. Card. bened. ℈ß.
Champhor.
Croci an. gr. iij.
Antimon. diaph. g. xv. M. F. Pulv.

§. 92. Huic, si malum non auscultat, ne vires nimiis vigiliis pereant, aut convul-

vulsiones superveniant, addi potest, granum unum vel alterum opii, sedulo tamen præcavendo, ne tum demum illud exhibeatur, quando vires sunt exhaustæ: Sic enim, etiamsi illud avara manu porrigatur, exigua illa quantitas spirituum adhuc residua, facile ab opiato subjugari poterit, unde totius œconomiæ metuendum erit exitium. Convenientius autem opiata in mixturis cochleatim exhibendis propinantur, ut reliquo carere possis, si optatum fueris sortitus effectum. Confert etiam multum salis volatilis opiato combinare, quod oleum illud opii crassum attenuabit, quo minus spiritus animales brachiolis ramulisque suis irretiat, eorumque agitationem sufflaminet. Hunc itaque in finem.

℞. Vini Hispan. ℥ij.
Spir. C. C. essentific. ʒij.
Tinct. anod. vol. ʒj.
Camphor. ℈ß. M. F. M.

§. 93. Huic etiam scopo inserviunt emulsiones ex Seminibus oleosis parandæ. Sic

℞. Sem. 4. frigid. major. ℥ß.
Papav. alb. ʒiij.
Amygd. dulc. ʒij.

Fiat

Fiat cum ana Vini Malvat. & Aq. Rosar. Emulsio ad ℥x; cui si addideris Tinct. ambr. ʒß. Corall. rubror. præpar. ʒij. Sach. Satur. ℈j. longe adhuc erit præstantior, tum turbatorem tranquillitatis, acidum sc. vel absorbent, vel particulis suis mollibus, oleosis, rigidos ejus aculeos involvunt, sicque placidam œconomiæ reducunt quietem. Reliqua, quæ hujus symptomatis curam concernunt, ex iis, quæ de Phrenitide dicturi erimus, peti possunt.

Cura Lethargi.

§. 94. Si gravis obrepat somnus, quovis modo ægrum excitare fas est: Huic scopo inserviunt frictiones, vellicationes, aliaque; naribus admoveantur acria, volatilia, ut Spiritus Sal. Armoniac. cum calce viva paratus. Idem etiam spiritus interne assumi poterit, aut sal vol. C. C. in largiori dosi, ut tubuli cerebri obstructi reserentur, & excursio succi nervosi in corpus restituatur. Cæterum cura hujus affectus erit eadem, quæ in Apoplexia, quo Lectorem Benevolum remitto.

Cura Phrenitidis.

§. 95. Dirum & stupendum malum est Phrenitis, brevique inter septem dies jugulat ægrum, nisi in tempore accersitus Medicus prompte opem ferat. Serio ergo sibi proponat, ut motum inordinatum succi ner-

nervosi sistat, & inflammationem tollat. Huic itaque scopo satisfacturus.

℞. Sach. Saturn. gr. viij.
Camph. gr. iij.
Croci.
Cinnab. nativ. an. gr. v. M. F. Pulv.

Seq. quoque pulvis laudem meretur.

℞. Reg. medic. gr. xij.
Bezoard. marr. ℈ß.
Lapid. Prunell.
Cinnab. antimon. an. gr. v.
Camphor. gr. iij. M. F. Pulv.

Assumat hunc pulverem singulis quatuor horis repetendum, donec sudor proveniat: optima namque hujus mali curatio in prolectione sudoris consistit. Addendum etiam non raro aliquid opii, quod motum tumultuarium succi nervosi compescet, ejusque acrimoniam temperabit. Præstat autem ab eo scrupulose abstinere, quam intempestivo ejus usu inflammationem meningum deteriorem reddere.

§. 96. Pulveres hosce ingrediuntur præcipitantia, quæ angulos salium invertunt, & tumultuandi cum aliis potestatem adimunt, obstructionesque expediunt, qualia sunt Bezoardicum mart. Cinnab. antimon. Regulus medic. Secundo ingrediun-

diuntur salia fixa quæ acida salia infringendo, visciditates attenuando, tubulos renum reserant, sicque urinam promovent, qua rite fluente scindentes illæ & acutæ particulæ magno agmine eliminantur: talia sunt lapis prunell. Sach. Satur. Camphora vero, egregium illud sal volatile oleosum, ut & Crocus ratione salis sui volatilis, quo luxuriant, salium spicula comminuunt atteruntque: ratione vero particularum ramosarum, eadem, vaginarum instar, involvunt, sicque per consequens obstructiones expediunt, succi nervosi tumultus placant, & turbatam ejus mixturam restituunt, in quod indicatio digitum intendebat. Interea temporis per intervalla seq. mixturæ tria vel quatuor cochlearia assumat.

℞. Aq. Major.
Beton. an. ℥ij.
Tinctur Matric. ℨß.
Elixir. vit. Overcamp. ℨij.
Sal. vol. C. C.
Camphor. an ℈j.
Syrupi papav. errat. ℥j. M.

Vel

℞. Aq. Borrag. ℥ij.

Vin.

Vin. Malv. ℥j.
Spir. Sal. Armon.
Tinct. anod. volat. an. ʒß.
Croci ℈ij.
Succin. ℈j. M. F. Mixt.

§. 97. Ingrediuntur hanc mixturam I. Aquea, ut ſalia diluantur & diſſipentur. II. Spirituoſa & oleoſa, quæ obſtructiones reſerando. III. Confortantia quæ vires reſtaurando curam accelerant. Sequens quoque hauſtus non eſt contemnendus.

℞. Vini Generoſi ℥jß.
Spirit. Sal. Armoniac. tantum, quantum ad Coccineum vino colorem conciliandum ſufficit.
Camphor. gr. viij.
Laud. op. gr. j. vel ij. M. F. Hauſtus.

Quid enim Spiritus ſal. armon. ut & Camphora in inflammationibus externis curandis valeant, loquitur experientia; ex quo judicio pollens jam judicet, quantum præſidii in illis ſitum ſit ad internas inflammationes curandas.

§. 98. Ad demulcendam acrimoniam ſucci nervoſi, ejusque ferociam ſiſtendam, conveniunt etiam emulſiones, quem in finem conducet ſupra in cura vigiliarum præſcripta.

§. 99. Hactenus de internis, jam externa iis adjungamus. Nec tamen ea nobis sedet animo sententia, ut frigida vel repellentia in usum vocemus, cum malum malo sit addere, obstructiones pertinaciores reddere, à quibus illæ lachrymæ: Nec species sacculo inclusæ & aceto irroratæ nobis probantur: cum is debeat esse genius, ea indoles externorum, ut internorum operationem adjuvare, imo intendere possint, neutiquam morari, aut plane impedire. Hoc vero præstabit ex voto Spir. Vini Camphor. aut crocatus, duplicatis linteis calide capiti. aut plantis pedum, applicatus: sic enim ope materiæ subtilis in poros intrudentur ad obstructionem expediendam.

§. 100. Ad somnum conciliandum seq. unguentum temporibus applicari potest.

℞. Ol. Nucist. expreſſ.
Laur. an. ℥ij.
Camph. ʒß.
Laud. opiat. gr. iv.
Fiat linimentum cum suffic. quant. ol. papav. alb.

Cura convulsionum.

§. 101. In convulsionibus, præprimis si superveniant in febribus malignis, ante excretionem cutaneam, diaphoretica omne ferunt punctum. Sic

℞.

℞. Sal. vol. C. C. ℈ß.
Camphor. gr. iij.
Bez. orient. gr. xv. M. F. Pulv.

Assumat hunc pulverem cum vino malvatico, aut alio quocunque generoso, exspectando blandum sudorem.

Vel seq.

℞. Corall. rubr. ℈j.
Margar. præp. gr. xv.
Castor.
Croci an. gr. vj. M. F. P.

§. 102. Cui mistura placet

℞. Aq. Cinnam. ℥jß.
Elix. vit. Querc. ℥i.
Sal. vol. oleos. ʒß. M.

Detur per intervalla cochleare unum cum vino generoso. His granum unum vel alterum laud. opiat. pro re nata addi potest; præprimis si excretio cutanea jam peracta, aut non exspectanda erit. Minus autem conducit si excretio cutanea aut exspectanda adhuc aut subito disparet: impedit enim transpirationem, hic quam maxime necessariam.

§. 103. Sitim curaturus Medicus, omnem in eo collocabit operam, ut his sequentibus indicationibus satisfaciat, I. obstructas glandulas salivales reseret, II. tur-

Cura sitis.

batam salivæ totiusque sanguinis restituat mixtionem. Satisfaciet autem his, si volatilibus, alcalicis & calidis rem aggrediatur, missa aliorum methodo medendi, qui refrigerantia, Julapia & hujus furfuris alia ægris suis commendare solent: his enim non tollitur, sed augetur sitis, & quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ. Præstat ergo calida & volatilia quam condensantia & refrigerantia in usum vocare: ab his namque magis perturbatur sanguis, tardior fit circulatio, glandulæ salivales obstruuntur & transpiratio sufflaminatur. Nec est quod objicias, calida & volatilia calorem magis intendere, labia, linguam faucesque præ siccitate & calore crepare, adeoque fervorem illum esse tollendum refrigerantibus. Sed finge rem ita esse, annon alia dantur, quæ fervorem sanguinis tollunt? Certe si sanguis est refrigerandus, neutiquam effectus ille exspectandus erit à refrigerantibus: Demonstravimus enim supra, calorem in febribus ardentissimis etiam minorem esse ac in statu naturali, illumque pro causa agnoscere imminutam particularum agitationem, tardioremque sanguinis circulationem;

nem; unde particulas propter perturbatam mixtionem impetuose in fibras incidentes, molestum illum caloris sensum producere. Sic impossibile est, refrigerantia calorem tollere posse, dum imminutam particularum agitationem magis impediunt, magisque turbant; unde tardius adhuc, quam ante circulans sanguis & impetuosius irruens in fibras, calorem potius augebit, quam revera tollet, nisi una cum calore febrili simul & naturalem velis exstinguere.

§. 104. Dein cum febris essentia non consistat in calore aucto, qui tantummodo est symptoma & consequens perturbatæ mixtionis, annon absurdum foret, tollere symptoma cum exasperatione causæ? Præterea jubentur ægri in loco calido se continere & stragulis corpus munire contra injurias aëris, annon proinde absurdum est, velle sanguinem potu frigido interne refrigerare, & tamen scrupulose ægris interdicere omnem refrigerationem externam, aut quæ ratio est, quod interne frigida conducant, externe autem noceant. Insuper, si refrigeratio adeo est necessaria in febribus, cur ea in variolis & febri-

bus malignis igne & aqua interdicitur, & ſudorifera exhibentur, aut quæ quæſo eſt ratio tanti diſcriminis? Si itaque ægris tuis vis conſulere frigidam interdicito & calidam ipſis hauriendam propinato: hæc enim calefaciendo refrigerant, & refrigerando calefaciunt, Sic namque efficies, ut ſanguinis mixtione reſtituta, particulæ ejus placidum impetum faciant in fibras, celerique fuga eas præterlabantur: verbo, naturalem reſtitues calorem, & glandulas ſalivales obſtructas reſerabis, ut tandem rivuloſe in os ſaliva profluat. Proinde.

℞. Lapid. prunell.
Tart. Vitriol. an. gr. v.
Sal. Card. Bened. ℈ß.
Antim. diaph. ℈j. M. F. Pulv.

Aſſumendus in vehiculo calido vel Theé vel Coffeé: verum, ſi vigiliæ urgent, dubito maximopere, an potus Theé conveniat, quia ſomnum arcet. Huic ergo ſubſtitui poteſt potus Coffeé, vel decoctum lignorum vel aqua fontana tepida aut calida prout palato ægri viſum fuerit, Pulvis Clariſſimi Bontekoe laudem etiam meretur. Huic potui interponi etiam poteſt Vinum generoſum cum aliquot gutt. Salis vol. oleoſi.

§. 105.

§. 105. Verum evenit non raro, ut ab omni potu calido abhorreant ægri, persuasum sibi habentes, frigidam melius citiusque sitim restinguere. Sed præjudicium hoc est: frigus enim actuale nihil ad sitim restinguendam facit, sed humiditas sola est, quæ lympham in os suppeditando, sitim fugat. Contrariis ergo rationibus præjudicium hoc ægro erue; si vero genio suo indulgere ipsi volupe est, & anxius efflagitet frigidum, concede parum; ne morosi & obstinati Medici nomen incurras: solent enim istiusmodi ægrotantes te etiam inconsulto & renuente frigidam ingurgitare, imo raro hoc in casu habebis ægros præceptis tuis auscultantes.

Cura Aphtarum.

§. 106. Aphtis si lingua faucesque obsessæ sunt, sedulo studendum, ut aër frigidus arceatur, & potus frigidus omnino interdicatur, nisi ultima fata experiri velit æger: tota namque salutis spes sita est in earum efflorescentia, quam quovis modo promovere fas est; quia minimo etiam patrato errore subsidere & in grangrænam degenerare possunt. Operam itaque dabimus, ut transpirationem augeamus, conservando ægrum in continuo & blando sudore. Sequens itaque pulvis si com-

commode assumi poterit, commendari potest.

℞. Sal. vol. C. C.
Croci an. gr. viij.
Bezoar. Orient. ℈ß.
Camph. gr. j. vel ij. M. F. P. subtil.

Detur successive in vino Malvatico aqua diluto.

§. 107. Si mixtura commodius assumi poterit.

℞. Elix. vit. ℥j.
Tinctur. matric.
Croci an. ℥ß.
Spir. C. C. essentif. ʒiij. M. F. Mixt.

Detur sæpius de die guttatim in potu Theé tepido, vel vino malvatico mixto. Ne autem medicamentum hoc molestum sit palato ægri, usque & usque copiosiori vehiculo erit involvendum, donec ferre poterit. Seq. Gargarisma conducet, quo tepido os eluatur.

℞. Lactis Vaccin. libr. j.
Croci ʒjß.

Ebulliant parum, dein affunde Spir. Vin. Camph. q. l.

Vel solus potus Theé cum tantillo Croci paratus omne feret punctum.

Cura Appetitus prostrati.

§. 108. Appetitus si est prostratus, in incremento & statu non est curandus, cum in

in declinatione utplurimum solet reverti: nihil enim interest, si per aliquot dies ab alimentis abstineant, cum ventriculus, propter turbatum in eo fluctuans fermentum, hujusque inertiam, cibos non digerat, nec in laudabilem vertat chylum, quin similiter perturbatam incurrant mixtionem, & novas præsagiant œconomiæ turbas, febresque diuturniores reddant, præsertim intermittentes. Taceo jam, quod per abstinentiam alimentorum reliquæ particulæ sanguinis melius digerantur, spirituosæ & volatiles magis attenuentur & exaltentur, quam si illæ continuo chylo crudo & perturbate mixto supprimantur, prout infra de regimine diætæ sumus morituri. Verum si in declinatione non restituitur appetitus, indicium est in ventriculo hospitari cruditates & morbi reliquias. Proinde si visum fuerit, vomitorium poterit præscribi, idque pro re nata iterari. Huic tamen digestiva poterunt præmitti, quæ incidendo & abradendo faciliorem vomitoriis sternunt viam. Sic

℞. Tart. vitriol.
Sal. Absynth. an. ℈ß.
Ocul. Cancr. ℈j.

Ol. st. Cinnam. gutt. j. M. F. Pulv. Detur horis vespertinis. Vel si pulverem hunc fastidiat ℞. Ol. Tartari per deliq. ℈ß. vel ℈j. Detur in Vino Rhenano. Altero die sequens poterit exhiberi vomitorium,

℞. Aq. Bened. Ruland. ℥ß. D.

§. 109. His præmissis, facilior erit operatio sequentium

℞. Elix alcal. ℥ß.
vitæ ℈j. M. D. ad 60. gutt.

Vel

℞. Ess. Abs. compos.
Spir. Menth. an. ℥j.
Sal. vol. oleos. ℥ß. M.

Capiat hujus mixturæ, ter de die cochleare unum in Vino Rhenano.

Cura Nausea & Vomitus.

§. 110. Si Nausea & Vomitus febres concomitantur, in initio non semper sunt sistendi, sed potius promovendi: cum enim oriantur ab humoribus perturbate mixtis, acribus, scindentibus, ipso vomitu ab iis sese liberat ventriculus, unde unico non raro vomitorio morbi radix in herba suffocatur, quæ alias intempestive suppressa, & in ventriculo morando, continuum turbationis suppeditabit fomitem. Adeoque ne dubites, ut supra jam indigitavimus, vomitorium propinare; hac tamen habita cau-

cautela, ut in minori illud dosi porrigatur; quia ventriculi fibræ jam inclinant ad humores illos sursum excutiendos; unde leviori negotio eo adduci possunt, ut contenta quævis motu inverso excludant. Itaque

℞. Tartar. Emetic. gr. iij.
resolub. ℈ß. M.

§. 111. Verum, si vomitus diutius affligat cum jactura virium, omnino sistendus erit. Proinde talia hic locum inveniunt medicamenta, quæ acidum ferociens compescendo, vellicationem fibrillarum sistunt.

℞. Spir. Carmin. Sylv. ℥ij.
Tinctur. Croci ℥j.
Cinnamom.
Castor. an. ʒiij.
Anod. volat. ʒj. M.

Detur cochleatim cum vino Malvatico. Vel:

℞. Elix. vit. ℥iij.
Spir. Menth. ℥j. M. D.

Divinum hoc in affectu remedium est Elix. vitæ nec agnoscit sibi par: egregie namque temperat acrimoniam, turbatam humorum mixtionem restituit, eos digerit, ac in naturalem statum reducit.

§. 112. Possunt etiam his mixturis associa-

ſociari pulveres præcipitantes, ut Corall. rubr. & in ſpecie Cryſtallus. Si neceſſitas poſtulaverit, cataplasma regioni epigaſtriæ imponatur, Sic

℞. Herb. Abſynth.
Centaur. minor.
Menth. an. m. j.
Baccar. Lauri.
Seminis Cumini.
Maceris.
Caryoph. an. ʒß.

Coque ex Vino & fiat cum farina ſecali Cataplasma, addendo Spir. Matric. Tinct. Galb. an. ℥j. Emplaſtrum Theriacale non ignaram feret opem, vel ſequens Cerotum.

℞. Gum. Galb.
Aſſ. fœtid. an. ℥j.
Myrrh.
Croci an. ℥ß.
Caryoph.
Maceris.
Aloes.
Camph. an. ʒiij.

Fiat cum Spir. Matric. aut Spir. Camph. Cerotum, cui ſuper imponatur catapl. modo præſcriptum.

Cura alvi adſtrictæ. §. 113. Alvus, quando adſtricta eſt, ad

ad purgantia cave confugias: etsi enim alvum solvant, eam tamen postea ita constipant, ut sæpe per tres, aut quatuor dies officio suo destituatur, iterumque opus habeas insida hæc remedia in subsidium vocare. Missis itaque iis salia fixa alcalia & digestiva præscribenda censemus, quæ viscidates incidendo & fibras intestinorum vellicando, alvum ad exclusionem fæcum sollicitant.

℞. Sal. Tart. ʒj.
Tart. Vitriol. ʒß. M.

Detur duabus vicibus, & liberalissime superbibatur potus Theé, ut fæces alvinæ irrorentur, humectentur, majorque lymphæ copia per glandulas intestinales depluat, ad excrementa irroranda eorumque exclusionem promovendam. Vel, si nondum respondeat alvus, clysma injiciatur.

℞. Herb. Absynth. mß.
Radic. Alth. ℥ß.
Semin. Anisi.
Bacc. Laur. an. ʒiij.

Coq. ex aqua simpl. Colat. ℞. ℥viij. adde. Ol. Absynth. ℥j. Salis Tart. ʒß. M. F. Clysma. quod pro re nata iterari poterit, aut si acrius requiratur, addi

di poteſt aliquid Salis Communis vel Tart. Vitriol.

§. 114. Quod ſi nec his moveatur alvus, Autor tibi ero, ut Elix. alcal. largiorem paulo doſin propines, quod attenuando, reſolvendo & ſtimulando alvum reddet lubricam absque ullo metu pertinacioris conſtipationis & uberioris turbationis: præter enim, quod laxatio hæc à naturali parum differat, ventriculi cruditates ſimul optime incidit, primas vias abſtergit, multisque indicationibus ſatisfacit.

Cura Diarrhaa & Dyſenteria.

§. 115. In Diarrhæa & Dyſenteria firmiter nobis proponamus acrimoniam temperare adeoque vellicationem inteſtinorum tollere; quod ſequentibus obtinere ſtudebimus. Cum autem malum hoc non raro radicem ſuam agat in ventriculo, videndum an ille bene ſe habeat: Commendatas ergo ſibi habeat mixturas (§. 111.) præſcriptas, vel ſeq.

℞. Spir. C. C. Saſſafr.
Tinct. Croc.
Matric. an. ℥iij.
Camph. ℈ß. M.

Capiat hujus mixturæ cochleare unum in vehiculo calido v. gr. Vino Hiſpanico aut alio generoſo, nullatenus vero acido, cor-

corpus tegendo, quantum fieri poteſt, blandum exſpectet ſudorem.

§. 116. His ſuccedunt præcipitantia diaphoretica, quæ multum in receſſu habent.

℞. Corall. rub.
C.C. uſti an. ℈ß.
Bezoar. orient. gr. viij.
Camphor. gr. ij. M.

Commendari etiam poſſunt pulveres ſupra (§. 101.) præſcripti. His adjungi poterit granum unum vel alterum opii, præprimis ſi ſpasmodica inteſtinorum convulſio ſimul affligat. Sed cautus ſit Medicus in exhibendis opiatis, cum utplurimum in Dyſenteria maligna inflammatio inteſtinorum ſubſit. Cæterum omne ferunt punctum diaphoretica, quibus ſolis fere malum hoc auſcultat.

§. 117. Nec de nihilo erit pedilavia ex aromaticis parare, v. gr. ex Abſynth. Ruta Salvia Baccis Lauri, Juniperi Semin. Carui, Cumini flor. Samb. Melilot. Chamom. Hyperic. Lateres calefacti etiam plantis pedum poſſunt applicari. Vel Cataplasma (§. 112.) præſcriptum, abdomini applicandum.

§. 118. Horum uſu dum malum remiſerit,

ſerit, vulneraria & balſamica in uſum ſunt vocanda; exeduntur namque inteſtina ab acrimonia illa corroſiva, ut mihi videre licuit Lugduni in Batavis. Proinde medicamenta illa erunt eadem, quæ in Catharro (§.184.& ſeqq.) proponemus.

Cura proſtrationis virium.

§. 119. Ubi vires ſunt proſtratæ, omnibus eo viribus collimandum eſſe putamus, ut ſuppreſſi in ſanguine ſpiritus liberentur, jactura illorum reſarciatur, ſanguinisq; circulatio intendatur. Sumat proinde largam doſin ſeq. miſturæ in vino malvatico.

℞. Elix. vit. ℥j.
Spir. C. C. Saſſafr. ʒij.
Tinctur. Cinnam. ℥ß.
Ol. ſt. ejusdem gutt. iv. M.

§. 120. Non poſtremum inter confortantia locum meretur oleum Camphor. ex radice Cinnamoni, medicamentum ſane nunquam ſatis laudandum: ſpargit hoc de ſe primo odorem Camphoratum, quo exhalato gratiſſimus Cinnamoni odor advertitur, non abſimilis ipſi oleo Cinnamoni. Sed dolendum medicamentum hoc egregium raram eſſe avem in his terris, noſtrasque officinas eo carere: ſperare tamen

men licebit, si usus ejus innotuerit, quod in locum Confectionum Alkermes & Hyacinthorum, optimo jure substitui possit, toto applaudente choro Medico. Sic

℞. Elix. vit. ℥iij.
Spirit. rosar. ambr. ℥ij
Ol. Camphor. ex rad. Cinnam. gutt. xxv. M.

Detur aliquoties de die in aqua Cinnamomi.

Cura Anxietatum.

§. 121. In anxietatibus conabimur cruditates in ventriculo attenuare, humores acidos, æruginosos & perturbate mixtos corrigere. Sed cum illi non semper auscultent temperantibus & attenuantibus, vomitoria præprimis sub initio hic sunt optima, quæ unico ictu non raro malum trucidant. Proinde Vomitorio supra præscripto præmitti poterit digestivum aliquod, nisi periculum sit in mora; alias & illo omisso, tuto poterit assumi: occasio namque præceps est, & quod tuto hodie licuit, id crastino die alia non raro symptomata impediunt. Adeoque, non erit cunctandum, ne humores illi aliorsum rapti, negotium deinceps facessant medicamentis etiam optimis. Dein con-

tinuandus erit usus volatilium & præcipitantium, quorum formulas jam aliquoties tradidimus. Insuper regioni epigastricæ aut scrobiculo cordis inungi poterit seq.

℞. Ol. Nucist. express. ℥j.
Moschi.
Zibeth. an. gr. IV.
Ambr. gr. ij.
Ol. still. Cumini ʒß. M.

§. 122. Cæterum clysma etiam poterit injici: excrementorum enim gravitas impedit, quo minus ita facile viscera cum diaphragmate sursum attollantur, hinc respiratio impeditur & anxietates augentur.

Cura jactitationis & inquietudinis.

§. 123. Jactitationis & inquietudinis causam cum statuimus imminutam sanguinis effervescentiam, & transpirationem suppressam, id negotii in curatione nobis incumbere videtur, ut sanguinis effervescentiam & transpirationem augeamus, quod commode obtinebimus sudoriferis, quibus solis morem gerit malum.

℞. Bez. mineral. ℈j.
Orient.
Sal. vol. viper. vel C.C. an. ℈ß.
Camph. gr. IV. M.

Vel:

Vel:

℞. Antimon. diaph.
Sal. vol. C. C. an. ℈j.
Ol. Camph. ex rad. Cinnam. gutt. iij.

His assumtis liberaliter se ingurgitet potu Theé: sic enim facilius sudor erumpit, nec ita debilitantur ægrotantes sudoriferorum usu. Ex volatilibus utramque absolvit paginam Elix. vit. cum spiritu C. C. essentificato in vehiculo calido successive propinandum, donec sudor erumpat.

Cura variolarum & morbillorum.

§. 124. In variolis, morbillis, usus diaphoreticorum excellit: si enim ullibi, certe hic sunt admodum necessaria, tam ante, quam post eruptionem: Illa enim in vasis capilaribus stagnantes humores propellunt, sanguinis circulationem augent & transpirationem restituunt. Hæc inter remedia caput exerit, imprimis Bezoar. orient. quod singulare aliquid, & vulgarium præcipitantium efficaciam longe antecellit, utilissime autem volatilibus commiscetur.

℞. Bez. orient. gr. xv.
⊖. vol. C. C. ℈ß.
Caph. gr. j. M.

§. 125. Ad sudorem melius promoven-

dum ſequentis miſturæ aliquot cochlearia exhibeantur.

℞. Aq. Scabioſ. ℥j.
Vini Malvat. ℥ij.
Spir. C. C. Saſſafr. eſſentif. ʒj.
Elix. vitæ. ʒß.
Tinct. Caſtor. ʒj.
Matric. ʒij.
Bez. mineral.
Antim. diaph. an. ℈j. M.

Superbibatur potus Theé aut decoctum C. C. cui varii pulv. præcip. aſſociari poſſunt, ut Ocul. Cancr. Coral. rubr. ad gratiam addatur Aq. Cinnam. q. l.

§. 126. Si oculi copioſiſſimis ſunt obſeſſi variolis, adeo ut cœcitatem minentur, collyrium ſeq. calide adhibendum.

℞. Aq. Roſar. ℥ij.
Croci ℈ß.
Spir. Matric.
Vin. Camph. an, gutt. xx.
Sach. Satur. gr. v. M.

§. 127. Sic brevem & ſuccinctam febribus medendi methodum tradidimus. Vidimus quam innumeri morbi particulares ab una queant produci cauſa, perturbata ſcili-

ſcilicet mixtione; quæ ſecundum plus & minus nec non diverſitatem partium, alios atque alios producit effectus, aliamque ſortitur denominationem, non aliter ac videmus diverſa, imo contraria ab uno eodemque ſole dependere phænomena, quæ pro ſubjecti ſaltem, in quod ille agit diverſitate, alia atque alia ſunt: indurat, namque ſol lutum, ceram liquefacit, linteamina dealbat, hominum denigrat facies, &c.

Diæta.

§. 128. Antequam vero Colophonem hic imponamus, pauca de diæta annectenda ſunt. Omni itaque induſtria, omnique ſtudio arcere oportet aërem frigidum, licet æſtus febrilis contrarium nobis imponat: ſanguis enim particulis volatilibus depauperatus, minus agitatur, unde minori etiam agitatione injuriis aëris reſiſtit faciliusque ad ulteriorem coagulationem diſponitur. Proinde corpus diligenter integumentis muniatur. Alimenta ſint boni & laudabilis ſucci & facile diſſolubilis. Vitetur quod ſale vel fumo corruptum vel effœtum redditum eſt, ut & omne piſcium genus. Aromata negligenda non ſunt, quæ ſale ſuo volatili digeſtionem alimentorum promovenr. Victus ſit tenuis.

§. 129. Cæterum dici non poteſt, quantum febribus præprimis intermittentibus expediat parce & frugaliter vivere: quo enim plus nutriuntur, eo magis læduntur; imo habet ſe ventriculus inſtar vaſis acetarii, quicquid illi commiſeris, aceſcit unde eodem modo alimenta ingeſta perturbatam ſubeunt mixtionem. Præſtat aliquando à prandio, præprimis autem à cœna abſtinere, latrante etiam ſtomacho: ſic enim ſenſim ſucci magis rarefiunt magisque ſubtiliſantur, digeruntur & in naturalem ordinem iterum collocantur. Præterea docet experientia, quod plurimæ febrium recidivæ repletioni ortum ſuum debeant, quod in me ipſo expertus loquor. Febre enim quotidiana ſuperiori anno correptus cum Lugduni Batavorum ſtudiorum cauſa morarer, qua cum mihi per aliquot dies erat colluctandum; à qua tandem liberatus, cum ſtrenue appetitui ſatisfacerem, recidivam paſſus ſum; in qua fuganda tantum medicamentis impetrare non potui, quantum contumaci per biduum inedia fruſtra etiam mihi contrarium ſuadente ventriculo. Inter animi pathemata truculentius nullum eſt mœrore iraque, quæ quovis modo declinanda ſunt,

sunt, suaque contentum sorte, rerum bene gestarum conscientia procul omni strepitu placate frui.

§. 130. Quæritur an febricitantibus concedendum sit alimentum, quod impensius desiderant, etiamsi illud sit malæ notæ? Imo sane, bene namque illis cedit, ac non raro febres fugat, ut indies docet praxis. Monendi tamen sunt, ne temperantiæ limites transgrediantur, & abstineant, si aliquantulum appetitui satisfactum esse sentiant. Cum enim sensibus, quibus monemur quid corpori nostro desit, vivendum est, non omnis ipsis detrahenda est fides, licet sæpissime vitæ nostræ sint ductores cœci. Sic si in sanguine est defectus particularum aquosarum, siti monemur eum resarcire; si chylosarum in eo facta est jactura, eam alimentis reparandam esse, appetitus indicat, qui interdum potius in hos, quam in alios cibos fertur, eosque specifice indicat; ceu experimur toto die, si iisdem per aliquot dies nos invitavimus alimentis, quod ventriculus ea nauseet ac respuat, quia ultima vice ab iis fuit læsus: Cum enim ad fermentationem subeundam requiratur diversitas alimentorum, quis non videt, si unius generis alimenta assu-


assumantur, quod homogeneus etiam ad ventriculum deferatur liquor gastricus, qui tam prompte non digerit alimenta, quam si foret heterogeneus? unde illa diutius in ventriculo morando oneri ipsi sunt, ut odore saltem imposterum percepto, istiusmodi alimenta nauseet, aliaque appetat, quæ nova, rara, ac insolita sunt.


§. 131. Ex quibus patet, quod appetitus, dum specifice alimenta determinat, certas quasdam particulas in sanguine restaurandas esse indicet, ac in eo indicando vitæ nostræ sit custos vigilantissimus. Proinde si febricitantium appetitus specifice in hoc vel illud alimentum impensius feratur, non denegabimus ipsi in eo gratificari, quin persuasum nobis habeamus, quod hac ratione in alimentis medicamentum quærat, quod ipsi conducit ad effervescentiam particularum imminutam augendam, & turbatam mixtionem restituendam: Præterea etiamsi alimentum illud impensius desideratum, sit difficilis digestionis, bene tamen digeritur, eo quod inter manducandum lympha crystallina ex glandulis salivalibus copiosius profluat eique commisceatur; influunt quoque majori agilitate Spiritus animales in ventriculum ad di-

digestionis negotium felicius peragendum. Tandem dum alimentum avidissime desideratum impetrat patiens, suavissima in ipso excitatur passio, acquiescentia.

§. 132. Finirem tandem nisi aurem vellicaret sequens: cur alimenta insueta febrium sæpissime sint funestæ genetrices? Non aliam hujus phænomeni causam esse putamus, quam quod particulæ alimentorum insuetorum, dum sanguini commiscentur, toto cœlo â sanguinis particulis abludant, aliumque in poris suis vehant ætherem; unde illæ seorsim existendo difficulter cum sanguine commiscentur, imo aliquot faciunt cum eo circuitus, antequam cum reliquis particulis mutuum inire possint conjugium: non aliter ac videmus flumina, dum in mare se effundunt, per aliquot milliaria saporem suum dulcem conservare, imo ab aqua marina per longum maris tractum visu discerni posse. Sic etiam, si aquæ commiscetur oleum, licet diversimode hanc mixtionem agites, sursum, deorsum, dextrorsum, sinistrorsum, nullum animadvertes particularum consortium, dum paulo post oleum iterum aquæ innatabit. Eodem plane modo dum particulæ alimen-

torum insuetorum non conveniunt figura, situ & magnitudine cum particulis sanguinis illæ à materia subtili in naturalem situm & ordinem collocari nequeunt, quin illa, denegato influxu rectilineo, in diversas particulas allidat, resiliat, & motu vertiginoso omnia agitet; unde particulæ aliæ aliis fiunt vel leviores, vel graviores, & perturbatam moliuntur mixtionem.





DE SCORBUTO SECUNDO MORBO CARDINALI.

§. 1.

Scorbutus unius regionis terminis non circumscribitur.

SEcundus morbus Cardinalis est Scorbutus, de quo multi multa, omnes fere suo abundant sensu. Veteribus ignotum fuisse, sunt qui asserunt, sed nimis leviter. Nomen quidem in cassum in veterum scriptis venaris, res tamen ultro se offeret, si symptomata Scorbutum presso pede insequentia examinare libuerit. Neque illi excusandi veniunt, qui unius vel alterius regionis terminis eum circumscribi autumant, cum ulterius vim suam exserat, nullibique

loco-

locorum non grassetur; imo ipsis etiam Indis plus quam familiaris. In nominis originem inquirant, queis tantum abs re sua otii est, nobis namq; nihil interest, si modo conceptibus nostris nomina accommodemus.

Scorbutus quid sit?

§. 2. Per Scorbutum itaque intelligo sanguinem suffocatum, rancidum, viscido-acidum, viscido salsum, aut acido-salsum. Suffocatur autem sanguis si in eo aliquod genus particularum deficit, aut supprimitur, ad fermentationem felicius peragendam summopere necessarium: quo loco familiam ducit defectus particularum volatilium, aut, quod eodem recidit, earundem suppressio: quæ vinculis detentæ, aut deficientes, sanguinem minus agitant, nec eum ad debitum volatilitatis aut exaltationis gradum evehunt; hinc ille rancedinem, ut ita loquar, aut leviorem & incipientem putredinem contrahit.

§. 3. Ut clarius hoc appareat, scilicet corruptionem, putredinem, rancedinem, causam suam debere vel particularum volatilium penuriæ, vel earundem suppressioni, exempla nonnulla eorum, quæ facile putredini aut corruptioni sunt obnoxia, in scenam producam. Sicubi in vino, cerevisia aliisque liquoribus fermentescibilibus parti-

ticulæ ſpirituoſæ ſupprimuntur, in acetum degenerant. Suppreſſionem autem ſpirituum hic accuſandam eſſe, non autem eorum exhalationem, ut nonnulli volunt, probat illud tritum: Vinum optimum, acetum peſſimum; quo namque vinum eſt generoſius, eo fortius paratur acetum: ac ſane, ſi exhalatio ſpirituum ex vino conſtitueret acetum, vinum per ſe acidum ac ſpiritibus deſtitutum, optimum daret acetum, imo contrarium docet experientia, ejusdem generis vinum vappoſum minus forte acetum conſtituere, ac vinum omnibus ſuis ſpiritibus adhuc abundans. Sufficienti documento, in aceto non eſſe defectum particularum volatilium, ſed ſaltem earum ſuppresſionem: id quod quoque docet ejus præparatio, quippe conſtat ex vino acetum poſſe generari in vaſe arctiſſime clauſo, ubi particulis volatilibus nullus datur avolandi locus, ſi modo igni apponatur: ſic namque vini particulæ à materia ſubtili agitatæ ulteriorem ſubeunt fermentationem, qua omnia in ſuo ordine & ſitu dislocantur, vario modo in ſe invicem inſurgunt, & acidæ ab aliis particulis liberatæ, incidunt in particulas volatiles, quas in motu ſuo ſupprimunt, ac ita detinent, ut mutuum ineant particularum ſuarum conjugium: nec vini particu-

læ

læ acidæ ſolum hic ſub cenſum veniunt, ſed maximam etiam partem contribuunt particulæ acidæ in igne exiſtentes, quæ ſeſe poris vaſis inſinuando, particularum volatilium ſuppreſſionem adjuvant.

§. 4. Hanc in aceto particularum volatilium ſuppreſſionem arguit etiam ſequens; quod vina per multos annos aſſervata, & ad ſummum exaltationis gradum, quem contendere poſſunt, perducta, à generoſitate ſua deflectant, ac tandem in acetum degenerent: quippe quod continua illa blanda fermentatione, particulæ vini diu inter ſe concuſſæ, tandem levioribus exaltatis, & craſſioribus præcipitatis, illæ, quæ figuras habent ad cohærendum aptas, cohæreant, & copulentur; unde particulæ volatiles ab acidis ſupprimuntur, quibuscum cohærent, ſicque acetum conſtituunt. Denique ſi ex aceto ſpiritus ardentes poſſunt deſtillari, quis porro dubitabit aſſerere, ſpiritus in aceto non exhalaſſe, ſed ſaltem eſſe ſuppreſſos?

§. 5. Non ſolum vina, ſi ad corruptionem vergunt, cauſam agnoſcunt ſpirituum ſuppreſſionem, ſed & eorundem exhalationem. Sic ubi illi exhalant, vapposum aut viſcoſum redditur vinum, eo quod particulis ſpirituoſis aut exhalatis, aut ex parte ſup-

ſuppreſſis, fermenta deficiant, quorum ope craſſiores & viſcoſiores diſſolvi & in regulari motu ſervari debebant; hinc vina in ſuperficie contrahunt mucorem aut lanuginem, quod propter imminutam ſuppreſſam & ſuffocatam particularum agitationem & fermentationem, preſſura Athmoſphæræ particulas illas viſcoſiores arctius agglomeret & compingat, non aliter, ac videmus in ſuperficie pultis cruſtam generari, ab externo premente aëre. Hanc ut ſuppreſſam & ſuffocatam particularum fermentationem in vino reſtituant œnopolæ, calcem vivam, aliaque terrea & alcalia, aut fermentum vini generoſioris adjiciunt, quæ ſuppreſſam & ſuffocatam in vino fermentationem reſtituunt, dum particulas acidas abſorbent, & ſpirituoſas ſuffocatas ſui juris reddunt, quarum motu inteſtino viſcoſiores reſolvuntur, & craſſiores. quæ motum ejus inſequi nequeunt, ad fundum præcipitantur, quibus præcipitatis, niſi eandem corruptionem iterum experiri velis, vinum alii infundendum erit vaſi. Huic corruptioni vina generoſa non ita ſunt obnoxia, ac minus ſpirituoſa manifeſto indicio, defectum aut ſuffocationem ſpirituum horum effectuum cauſam exiſtere.

§. 6.

§. 6. Si oleoſorum, aliorumque edulium corruptionem inſpiciamus altius, animadvertemus, quod illa, ſi ad corruptionem vergunt, rancorem, mucorem aut ſitum contrahant, qui diverſæ ſunt corruptionis ſpecies: dependent autem ad unum omnes â ſuppreſſa & ſuffocata particularum fermentatione: dum enim in poris ac amplexibus particularum oleoſarum deliteſcunt ſalia acida, alcalia, & volatilia, quæ ex illis amplexibus reſoluta, inter ſe equidem efferveſcunt, verum non niſi coacte ac ſuffocate, quia ſalia illa non ſatis ſunt diſſoluta; hinc non niſi lente in ſe inſurgendo particulæ ſpirituoſæ & volatiles ſupprimuntur, craſſiores ramuli diſcerpuntur & deſtruuntur, ſicque rancorem contrahunt. Haud diſſimili ratione liquores in vaſis clauſis & ſemiplenis aſſervati lente, & non niſi pedetentim efferveſcunt, dum particulis reſolutis, & ex miſti compage jam excluſis, libera non conceditur avolandi poteſtas, quæ intra cancellos vaſis coacte remanentes, liquorum ſuperficiem premunt, ut particulæ coacte ſuffocate & ſuppreſſe efferveſcendo, tetrum illũ ac rancidum odorem exhalent.

§. 7. Sic vidimus, qua ratione, ex ſuppreſſa & ſuffocata particularum fermentatione,

tione, corruptio inducatur; eadem plane ratione fermentationem in sanguine supprimi & suffocari posse, penitus persuasus sum, cum enim sanguis noster ex ejusdem generis particulis est compositus, quidni ob easdem etiam rationes putredini & corruptioni poterit subjici? est enim succus vegetabilis, ac proinde easdem quoq; fermentationis & corruptionis causas agnoscet, quales vin. cerev. aliaq; fermentescibilia & corruptioni obnoxia, quamvis secund. speciem diversas. Sunt enim in sanguine omnia illa requisita quæ ad fermentationem & corruptionem requiruntur, æq; ac in aliis fermentescibilibus. Adest motus fluidi, liber datur aëris accessus & recessus, calor mediocris, datur diversitas particularū, adsunt salia utriusq; generis: imo, si hæc requisita deficiunt in sanguine, non minus ac in aliis fermentescibilibus fermentatio impeditur. Tandem, ut finis omnis fermentationis est exaltatio liquorum, & mutatio secundum qualitates sensiles, ita & nunquam non hoc in sanguine contingit. Proinde, si eadem adsunt in sanguine requisita, quæ ad fermentationem & corruptionem in aliis liquoribus requiruntur; si iisdem deficientibus causis poterit tolli, & idem sit utriusq; finis, non different inter se, nisi secundum speciem.

§. 8. Nec est, quod objiciatur, sanguinem nullo modo rancedinem, situm aut putredinem contrahere posse, eo quod ille continuo circulum suum adhuc obeat, aut motu progressivo, qui est infensissimus putredinis hostis, per totum corpus feratur? Novi equidem motum progressivum tollere putredinem, ejusque infensissimum esse hostem, secundum tritum hoc: putrescunt, ni moveantur, aquæ. Verum, si omnis à liquoribus arcenda est corruptio per motum progressivum, necesse est, ut quam rapidissime eo deferantur: non enim illud ipsum procedit in iis, quæ lento motu progressivo deferuntur, ut in lacubus & fossis apparet; decurrant licet in iis aquæ motu progressivo, dum habent suum affluxum & refluxum, ille tamen non est sufficiens, ut aquas illas à corruptione vindicare possit, nisi sit rapidior.

§. 9. Sic etiam, licet in Scorbuticis sanguis adhuc circulum suum obeat, non tamen ille satis velox est, ut à corruptione incipiente sanguinem præservare possit: adeoque quid obstat, quo minus sanguis, etiamsi motu progressivo adhuc deferatur, secundum plus & minus corrumpi possit; pari ratione, ut aquæ illæ, quæ lente progredien-

diendo, minus putrescunt, quam illæ, quæ in totum stagnant, & plus ratione illarum, quæ celerrime decurrunt. Præterea velim distinguant inter diversos gradus putredinis, aut diversas ejus species, quæ, pro diversitate subjectorum, variæ esse possunt, alia namque in acetum degenerant, alia fiunt rancida, alia situm contrahunt, & inter has species diversos quoque esse gradus.

Scorbuti Causa.

§. 10. Postquam igitur evicimus, scorbutum sanguinis esse suppressam aut suffocatam fermentationem, res ipsa exigere videtur, ut, qui illam contrahere possimus, paucis indicemus. Prava & dissoluta diæta multum quidem hic confert, sed ea latius patet, ac ignarum vulgus sibi persuasum habet: nec enim illi solum peccant, suæque sanitati insidiantur, qui helluando dies noctesque consumunt, sed & illi, qui sobrietati studentes, præpostere cynico victu utuntur, ubi lacte ebutyrato, pane, caseo parce aut parce nimis vivunt, aut saltem acidam foeculentamque cerevisiam, vinum vappidum, aut minus generosum ingurgitant, domi denique bufonum instar latitant, testudineam vivunt vitam, geniumque defraudant. Hi non minus, utut rectius videantur agere, atque illi præcipites in scor-

butum ruunt; sic stulti dum vitant vitia, in contraria currunt.

§. 11. Ne quis jam ignoret, quid ad sanitatem tuendam conferat, omnes illas causas, quæ sanguinem suffocare, incrassare, acrioremque reddere valent, in apricum producamus, quo sic eas averruncando à scorbuto nos immunes præstare valeamus. Aër pro diversitate aquarum tellurisque; quibus incumbit, diversis particulis fœtus, dum per inspirationem sensilem vel insensilem nobis communicatur, sanguis aliter atque aliter afficiatur necesse est. Sic si radii solares in tellurem fortiter vibrantur, expelluntur varii generis particulæ, aqueæ, flexiles, oblongæ, rigidæ & in cuspides erectæ, nec non ex lacubus, paludibus, & locis sulphureis corruptæ & putridæ. His si aër gravidus existit, sanguis volatilisari & exaltari nequit, quin potius ab irregularibus illis & crassis particulis suffocerur; unde à materia subtili particulæ sanguinis minus à se invicem separantur, hoc est, comprimuntur, suffocateque effervescunt. Sic itaque ubi particulis aëris volatilibus rigidæ, oblongæ aliusque generis figuræ & motus particulæ sociantur, earum motus impeditur, sicque efficitur, ne tam celeriter cir-

circa proprios axes à materia ſubtili rapi, particulas ramoſas diſcerpere & attenuare poſſint: non ſecus ac rotulæ horologii vel feſtucis vel pulviſculis præpedita, plane ſiſti ſolent.

§. 12. Quæ cum ita ſint, ad oculum patere reor, ſimul atque ſanguis ſale volatili aëreo non bene attenuatur, atque evolvitur, eum tardius progredi, ſupprimi, & ſcorbuto viam ſternere debere. Frigidus aër, hoc eſt, cujus particulæ à materia ſubtili, ſecundum proprios axes, minus volvuntur, incraſſat & inſpiſſat ſuccos noſtros, non ſecus ac juſcula, quæ calida in fluorem facile rapiuntur, frigida vero gelatinis inſtar ſe diduci patiuntur. Quo poſito, quis non videt machinam noſtram nec flecti commode in omnes partes, nec moveri apte poſſe; unde difficilius omnia peraguntur. Succis corporis noſtri tanta craſſitie exiſtentibus, neceſſarium eſt conſequens ut inſenſilis tranſpiratio impediatur, tum vero particulæ acidæ, aliæque, quæ vel excludi, vel imminui debebant, remanent in ſanguine, unde fermentatio ſanguinis ſuffocatur, haud ſecus, ac ſupra demonſtravimus.

§. 13. In locis ſubterraneis ſemper regnat aër acidis, multisque heterogeneis uliginoſis

ſis & ſideratis refertus particulis; unde pernitioſum eſt & fermentationi ſanguinis, ſanitatique magno detrimento in iis vel habitare vel commorari. Sic qui in ſqualido carcere diu detenti fuerunt, immane quantum emaciantur, rigidique pene fiunt immobiles.

Alimenta. §. 14. Qui aër nocere, ſcorbutumque producere poſſit, vidimus hactenus, nunc ad alimenta nos conferamus, ubi mirari licet, illorum numerum tantum eſſe, quæ in machinæ noſtræ ruinam conſpiraſſe videntur, ut fando dici nequeat. Cenſoriam itaque merentur virgulam, carnes ſalitæ, fumo indurati piſces, aliaque ſale condita, aut potius corrupta, quorum vix nomina nota ſunt. Nocere ſal fixum culinare norunt Nautæ, norunt Belgæ, aliique iis maritimi, qui cum ſalita in deliciis habent, præ aliis nationibus, quibus religio eſt ſale corruptis ſe invitare, ſcorbutum incurrunt: Nec enim aliter fieri poteſt, quin, ubi ſalia iſta coacervata ſibi incumbunt invicem, tardius quam par eſt ſucci deferantur; quod veloci fuga motum fluidiorum & volatilium inſequi prohibiti, comprimantur, quæ compreſſæ, intervalla illa occupant, quæ materiæ ſubtili debebant, eſſe pervia: tum vero illa ex ſanguine noſtro excluſa, in motum amplius de-

deducere particulas ſanguinis nequit; hinc, illæ ſegnius reſolvuntur, coacte & ſuppreſſe inter ſe efferveſcunt. Excludere vero materiam ſubtilem ſalia, videmus in carnibus ſalitis, in quorum poros immiſſa tanquam totidem cunei firmant fibrillas, & tubulos muniunt contra materiæ ſubtilis impetum, efficiuntque quo minus ab ea agitari, & in minimas particulas comminui poſſint; unde à puttredine præſervantur. Succi noſtri ubertim ſalſis particulis imprægnati, graviores redduntur, ſalſa enim aqua ponderoſior reperitur dulci; ſic etiam ſanguis rigidis & irregularibus particulis refertus, ponderoſior eſt dulci, hoc eſt ſanguine, particulis volatilibus, oleoſis & ſpirituoſis gravido. Cum itaque ſanguis à ſalibus iſtis gravior reddatur, ſequitur eum minus efferveſcere, ac ab Atmoſphæra arctius comprimi debere; & neceſſario tardius circulum ſuum abſolvere.

§. 15. Nec videntur ſalita ſufficere ad ſcorbutum generandum, quin adhuc alia, in eundem finem collimantia, in ſubſidium vocentur, ut aceto, acidoq; ſucco præparatorum genera, cucumeres, cappares, poma limonum, acetaria, lac ebutyratum, aliaque, quæ propoſtere delicatorum palato ſapiūt. Abhorremus ab his omnibus, utpote ſatis

 per-

persuasi, acido nihil pernitiosius dici, imo nequidem excogitari posse, utut parodoxum hoc videatur, paucique adduci possint, ut proscriptis omnibus è culina acidis insipida fercula parent, vel saltem aromatibus condita. De veritate hujus asserti certus esse poterit, quisquis altius rem considerare voluerit. Ecquis dubitat cibum, ut nos nutrire possit, in laudabilem chylum hoc est lac verti debere. Quod si illi lacti continuo succus acidus infundatur, in coagulum abeat necesse est, quod neque nutrire nos, neque valetudinem nostram sartam tectamque servare potest, quin totum sanguinem incrassabit inque coagulum tandem aut caseum, ut ita loquar, vertet. Sunt quidam, qui in deliciis habent lac ebutyratum, quod omni mane, præsertim tempore vernali, in usum loco acidularum vocant; verum horum nemo est quin serius aut citius sibi scorbutum consciscat.

§. 16. Dantur alii quibus religio est, non omni die vesci acetariis, præsertim mulierculæ, cum facile parari absque dispendio temporis ac pecuniæ possint. Scio equidem cum vili pretio haberi possint, sumptibus parcendis ergo, aliis epulis præferri Ego vero illum è societate humana exterminandum esse reor, qui sanitati, qua nihil

nihil æstimabilius, nummos antetulerit; quibus etsi careas, homo tamen es, illa vero destitutus, abjectissimum etiam mortalium te dixero & brutorum viliorem & inferiorem.

§. 17. Qui phlogoses aliquando experiuntur & à pastu rubro vultu suffunduntur colore, quem mulierculæ detestantur, ne ebriosæ nomen incurrant, refrigerandi animo acetaria aut etiam ipsum acetum ebibunt, scite lepideque factum! si diis placet. Ponitur hic, quod probari debeat, an unquam sanguis noster refrigeratione vel ventilatione opus habeat, quod si calor intensior nos male afficit, jam morbum quendam in imis visceribus alimus, qui longe alia requirit remedia; hic vero æstus certum jam scorbuti signum est, qui enim recte valet istiusmodi calore nunquam devexatur. Incalescere sanguis non potest, nisi tardius circuletur, tardius circulare non potest, nisi justo sit crassior & viscidior. Ergo sequitur, illa acida calorem potius augere, quam imminuere, neque refrigerare nisi ad tempus, postea vero igni huic fatale subministrare pabulum, ipsumque sanguinem incrassari & suffocari necesse est, tardiusque circulari.

§. 18. Inter centum alia, quæ ſcorbuto famulantur, eſus caſei male audit, quippe qui craſſis ſuis ramulis catenularum vel uncorum inſtar, ita inter ſe intricatis & cohærentibus, omnem diſſolventis fermenti vim eludit, & in compactum chylum faceſcens, toti œconomiæ periculum portendit. Maxime autem alio carbone notandus venit caſeus vetus, quippe, cum in illo omnes particulæ ſint putridæ, volatiles, ſuppreſſæ & ſideratæ, fungum oportet eſſe, qui non videt, quod ex eo non poſſit non generari chylus ſimiliter ſuppreſſus & ſuffocatus.

§. 19. Hunc in cenſum quoque veniunt alimenta rancida, corrupta, ſiderata; qualia ſunt panis ſideratus piſces putridi, cereviſia & vinum vappidum, butyrum rancidum, legumina exſiccata, piſa, fabæ aliaque hujus furfuris; in quibus omnibus, cum deficiunt particulæ volatiles aut ſunt ſuffocatæ, eadem quoque labe inficiunt ſanguinem. Hanc ſibi contrahunt nautæ, qui dum per dimidium ſæpe annum his alimentis veſcuntur, ſanguinem ſuum ſuffocant, nec raro incurabilem incurrunt ſcorbutum. Non minus enim poſſibile eſt, ut ex illis alimentis laudabilis generetur

ſan-

ſanguis, quam poſſibile eſt ut ex hordeo ſiderato optimi odoris & ſaporis coquatur cerevišia.

§. 20. Qui unius generis alimentis per aliquod tempus ſe invitant, itidem ſcorbuto fores pandunt: cum enim ad fermentationem ſuſcipiendam requiratur diverſitas particularum; fieri non poteſt, quin ex homogeneis alimentis, homogeneus etiam elaboretur chylus, qui ad fermentationem ſuſcipiendam ſegnius inſurget; unde ſanguis ad ſimplicitatem magis reductus, lentius efferveſcet nec niſi coacte & ſuffocate.

Motus & quies ſomnus & vigilia.

§. 21. Hactenus qui cibi & potus occaſionem præbere ſcorbuto poſſint, leviter adumbravimus. Sequitur nunc ut quid motus & quies, ſomnus & vigiliæ animique pathemata ad hujus mali generationem conferre poſſint, breviter expediamus. Qui gravioribus & durioribus laboribus fungi cogitur & ſervilibus operibus exanthlandis mancipatus eſt, graviſſimas pœnas luit: multum enim particularum volatilium ex corpore ejicitur, quibus ita ſpoliatus ſanguis, craſſior acriorque hinc inde hæret. Adde maximam hominum partem idcirco operari, ut divitias ſibi acqui-

quirant, quod cum obligationibus nostris repugnat, queis jubemur propter rationis, non vero nostri amorem de victu esse solliciti, æquum & justum est, ut gravissimi hujus criminis pœnas debitas tandem persolvant. Modico igitur labore non tam affligamus quam excitemus & exerceamus corpus nostrum; quo sani semper, vegeti & à morbis immunes quam proxime ad cœlestium vitam accedamus cum sic labor, qui supplicium nobis esse debebat, in prœmium nobis vertatur, corpus nostrum firmando & roborando. Ut nimius motus, ita maxime nimia quies, scorbuti mater est. Sanguis noster in nimia quiete tardius per vasa sua delatus, crassior fit, minusque effervescit, ideoque hinc inde obstructiones pariens, scorbuto viam sternit. Experiuntur hoc fatum viri docti & eruditi, qui dum in excolenda mente toti sunt, corpori suo etiam inviti damnum pariunt. Fœminæ ut plurimum otio deditæ, hac de causa scorbutum incurrunt. Transpiratio enim impeditur, qua impedita, sufflaminatur sanguinis effervescentia: ut enim sanguis rite effervescat, necesse est ut nonnullæ particulæ à consortio aliarum excludantur, atque sic materiæ subtili ad omnes particulas fermentescibiles aditus concedatur; secus autem con-

tin-

tingit, si sanguis nimia quiete torpet, minus namque effervescit, minus intumescit; unde majorem patitur ab atmosphæra pressionem, qua valide premente, humores suppresse & suffocate inter se effervescunt, ut ex supra dictis luculenter patet. Nimiæ vigiliæ semper nocent, dum particulæ volatiles continuo abiguntur, nullumque novarum elaborationi tempus conceditur; unde succorũ motus valde labefactatur, crassior acriorque evadit sanguis, & atroci scorbuto fenestra aperitur. In somno autem non ita facile exceditur, præprimis si factus fuerit nimiis vigiliis nimioque labore particularum volatilium jactura, quæ in somno reparatur; quo fit ut dormire amplius nequeamus, sed expeditis obstructionibus succoque nerveo prompte & alacriter excurrente, somno exsuscitemur; expergefacti muniis nostris obeundis nos applicemus; neque tum amplius in somnum propendeamus multo minus eo delectemur, sed vigilare & res agere malimus. Cum ergo somnꝰ multum conferat ad reparationem salis volatilis, detrimenti esse non potest, nisi ille scorbuticus sit vel apoplecticus, hoc est, sanguis particulis viscidis, & acidis adeo obrutꝰ ut exinde nullus salium volatilium proventus sperari queat.

§. 22.

Passiones animi.

§. 22. Tandem passiones animi fere omnes illud peculiare habent, quod corpori noceant, sanguinem incrassent, scorbutumque generent. Omnium harum furiarum pessimæ sunt ira, mœror, tristitia, invidia. Ex his non modo oritur scorbutus, sed & scorbuto afflicti immane quantum in has passiones propendent. In his passionibus, dum segnius aut inordinate influit succus nerveus tardius sanguinem circulum suum obire oportet, crassos ubique succos in tubulos dimittere, qui dum hærent, obstructiones & scorbutum pariunt.

§. 23. Atque ita liquido constare reor, scorbutum nihil aliud esse, quam sanguinem suffocatum, viscido acidum, aut viscido salsum. Qui à variis tam internis quam externis causis producitur. Ordinis iam exigit ratio, ut scorbuti morbos particulares, quorum funesta genetrix solet existere, paucis perspiciamus. Varii autem illi sunt, prout nunc variat sanguinis suffocatio, crassities, acrimonia; nunc prout vel hi vel illi tubuli sunt obstructi; unde variare mille modis possunt, nec semper eodem morborum numero sese exhibebunt.

Cephalalgia.

§. 24. Si itaque eorum, quæ occurrere solent, numerum indagabimus, ultro sese offe-

offeret in capite Cephalalgia. Oritur autem illa dum ſanguis ille viſcido-acidus aut viſcido ſalſus in cerebri anguſtiſſimis vaſis capillaribus moram nectit, cujus particulæ acres cum ſunt rigidæ, oblongæ, cultrorum inſtar ab utroque latere ſcindentes, fieri nequit, quin dum transverſim in utrumque latus acumen ſuum vibrant, rumpendo & divellendo fibras immanem dolorum facem accendant. Hi dolores ſi ſunt acutiſſimi, particularum illarum rigiditatem in ipſo cerebro ſævire putandum eſt; atque hic dolor lancinans Medicis audit. Quod ſi vero dolor ille ſit obtuſus, aut gravativus, oritur ille à particulis viſcidis glutinoſis, quæ tam prompte iter ſuum emetiri non poſſunt, quin neceſſe ſit, ut ad cerebri tubulos delatæ, in illis vel hæreant, vel moram ſaltem nectant, dum ſanguis á tergo accedens & commode progredi neſciens, nunc in hanc, nunc in illam partem impetuoſius allidendo, vaſa extendat, nervos premat, ſicque dolorem gravativum producat. Dolor capitis diutius affligens ſtupiditatem, oblivionem, ſenſuum torporem, denique apoplexiam producit.

Vertigo.

§. 25. De vertigine conqueri ſolent ſcorbutici cujus cauſa eſt ſuccus nervoſus cras-

crassus, acris, hinc inde in cerebro obstructionem pariens, qui cum recta progredi prohibitus, his scopulis allisus resilit, circumgyrans turbinosoque hoc motu imponit menti, ut objectorum impressiones aliter recipiat, quam in ipsa organa facta sunt: plerumque autem ea corripi solent, jejuno ventriculo. Hæc vertigo est per consensum, oriturq; non à vaporibus, quæ vaporosa veterum doctrina jam pridem in vapores abiit, sed à particulis scindentibus, acidis, quæ inedia acriores factæ, rodendo superius orificium ventriculi, crispationem aut vellicationem fibrillis nerveis inducunt, quæ ad alteram earum extremitatem in cerebrum scilicet, delata, succum nervosum agitat, eique eundem motum imprimendo turbineo motu gyrat, qui motus ad mentem delatus, imponit menti, ut omnia in gyrum verti judicet, vertigo quóque non raro est tenebricosa, hæc videtur oriri ab extrema succi nervei crassitie ejusque defectu, quo fit, ut nervus opticus inflari nequeat, nec impressiones ad mentem deferri, hæc vertigo est parva epilepsia aut apoplexia. Vertigo gravior, diuturnior præsertim absq; causa manifesta inchoans in Juvenibus epilepsiam, in senibus apoplexi-

plexiam certissime prænunciat. In senibus raro fallit, in quibus etiam est periculosior, omnium pessima est caduca.

Affectus soporosi.

§. 26. Producit quoque scorbutus varias species affectuum soporosorum, quæ gradu inter se differunt: quarum summus est apoplexia, qua subito in terram prolabuntur, cum sensus & motus abolitione, manente aliquamdiu cordis pulsu & respiratione, quibus à mortuis distinguuntur. Oritur hoc malum ex obstructione in nervis nato, pressione & coarctatione nervorum, succi nervosi penuria, ejusque viscíditate; unde in nervis contumaces generantur obstructiones, quæ in tantum succi nervosi in corpus excursionem sufflaminant.

§. 27. Distinguitur apoplexia in *sanguineam* & *humoralem*, illa est, quando sanguis viscidus per vasa sua expedito passu ruere nescius stagnat, vel extravasatur: cum vero particulæ in eodem situ diu manere non possunt, quin à materia subtili viam sibi quærente, motu intestino ferociant, dilatantur vasa nervique premuntur, ut succus nervosus per eos ruere impediatur. Humoralis est, quando succus nervosus usq; adeo particulis volatilibus orbatus, viscidus & glutinosus existit, ut excurrere nullo pacto

queat, hinc stagnans Apoplexiam producit.

§. 28. Quo levior itaque obstructio vel pressio nervorum est, eo promptius excurret succus nervosus, eoque mitius erit malum. Sic in Comate facilius expergefiunt, liberiusque respirant; in Caro longe difficilius, neutiquam vero in Apoplexia; in qua tanta tamque profunda est nervorum obstructio, ut succo nervoso nullus fere pateat commeatus; hinc ægrotantes nullo modo expergefiunt, quicquid etiam moliaris, quin imo tandem succus nervosus nervos pneumonicos irradiando impar hos quoque connivere & collabasci sinat, quapropter stertor infallibilis mortis prodromus habetur.

§. 29. His ita se habentibus mirum non est sensuum externorum & internorum usum aboleri, cum illi peragi non possint, citra opem succi nervosi. Si igitur tubulos cerebri materia crassa & viscida obsessos tenet, principiumque nervorum obstruit, tum quoque cessat succi nervosi secretio, vel si secernatur, secreti influxus in nervos prohibetur, stante in principio nervorum funesto illorum obstaculo.

Hinc

Hinc est quod sensus externi & interni cessent, non videant, non audiant, non recordentur. Manet tamen adhuc respiratio non propter necessitatem vitæ ut putarunt quidam, sed propter necessitatem organicam. In vulgus namque notum est, quod quo corpus frequentius exercetur, eo fiat robustius documento nobis sunt illi, qui sæpe in palæstra gladiatoria se exercent, fortiores sunt vel agiliores dextra quam sinistra, & illa pars etiam aliam magnitudine superare videtur: Ratio est, quia tales partes frequentius usurpatæ, cum sanguis & succus nervosus impetum in fibras faciunt easque creberrimis ictibus concutiunt & contrahunt; tubuli fiunt majores & ampliores, ut succus nervosus pleniori agmine totisque viribus in eos influere possit. Quoniam vero ille ab ineunte ætate continuo in nervos respirationi dicatos fluxit, mirum non est, si præ aliis successu temporis ampliores facti sint. Hinc quanquam succus nervosus alios tubulos ingredi nequeat, his tamen præter, modum dilatatis, & apertis, facile excipitur. Quod si usque adeo crassus & viscidus jam sit succus nervosus, ut nec hos

 tu-

tubulos subire queat, tunc & hinc nascitur obstructio, quam stertor indicat. Atque inde Medicus statum ægrotantis divinare & eventum prædicere poterit, radiat sua luce hoc nostri effatum: Fortis apoplexia nunquam, debilis raro & difficulter curatur. Si tamen qui quod raro accidit, ex hoc morbo evadunt, illi sæpe numero tantam memoriæ faciunt jacturam ut nec minimorum recordari valeant, sed fere repuerescant aut paralyseos diuturni mali periculum haud effugiant.

Paralysis. §. 30. Oritur paralysis similiter à succo nerveo crasso viscidoque, quæ vel est universalis vel particularis, sic nunc oculi solum, nunc manus, nunc pedes, nunc os, nunc lingua, nunc vesica, nunc dextrum, nunc sinistrum latus, hoc malo mulctantur: Spinalis namque medulla in cerebro in duos distribuitur truncos, dextrum & sinistrum si igitur materia morbifica se insinuet in spinalem medullam, ita ut utrumque truncum obstruat, tum oritur totalis resolutio, si vero versus unum truncum derivetur, tunc unius lateris resolutio oritur. Quod, si viscidum illud, quod antea in cerebro apoplexiam pariebat, omne

in

in spinalem medullam descendat, cerebrum paralysi erit immune, adeoque sensuum internorum nec non plurimorum externorum sua manebit integritas. Solet aliquando in paralysi nunc motus solum perire, nunc sensus, nunc uterque. Horum phænomenorum causam putamus esse, quod major succi nervosi copia requiratur ad motum ciendum, quam ad sensum præstandum: in hoc enim sufficit, si quædam fibræ agitentur, in illo musculi inflentur, necesse est.

§. 31. Sentitur sæpe numero sensus formicationis, præprimis in incipiente paralysi, qui fit, quando obstructis aut pressis nervorum tubulis, succus nervosus vi sibi viam facit; tum particulæ pungentes & scindentes versus fibras alliduntur easque vellicando & agitando sensationem istiusmodi in mente producunt, ac si ingens acidularum cumulus ibidem asservaretur. A frigore sæpe numero ut & cum quis cubito innititur idem sensus proficisci solet. Quod in priori casu stagnans succus nervosus acidam quandam acrimoniam contrahit, quam alius succus à tergo adveniens in motum rapit, & versus fibras pro-

pellit, sicque formicationem parit. In posteriori, cum nervi premuntur necesse est, ut succus nervosus vel tardius moveatur vel subsistat, dum membrum plane mortuum esse videtur, sensu motuque spoliatum. Ast sublata illa pressione, succo nervoso liber meatus conceditur, hinc stagnantes antea particulæ, acriores mora redditæ, & propulsæ in fibras easque divellendo, sensum formicationis producunt.

§, 32. Paralysi affecta pars contabescere solet, quod sanguis adeo crassus & viscidus sit, ut succus nutritius inde ortus angustissimos illos tubulos, pro nutritione ingredi nullus possit. Hinc collabentibus tubulis flaccescit pars. Secundo, obstructis nervis, influxu succi nervi impedito, propelli & impelli succus nutritius non potest, hinc marcore conviciatur membrum oportet.

Convulsiones & spasmi.

§. 33. Convulsionibus & spasmis sæpenumero cruciantur scorbutici: Quarum funesta genetrix est succus nerveus acris & corrosivus, qui stimulando nervos fibrasque succum nervosum vi in eos impellit; unde nervi contrahuntur quæ contra-

tractio tanta non raro est ut musculi tono suo, vel naturali constrictione privati, breviores, antagonistæ autem longiores evadant membraque sic incurventur.

§. 34. Convulsiones illæ sunt vel universales vel particulares, in quibusdam enim crura, manus, labia, musculi abdominis, aliæque partes vel internæ vel externæ convelluntur. Malorum horum causa non semper latitat in cerebro, sed in omnibus aliis partibus hærere possunt particulæ istiusmodi corrosivæ, quæ nervos vellicando, succum nervosum ad crebriorem influxum sollicitant; unde variæ convulsionum species oriuntur. Nec etiam in illis partibus, quæ convelluntur causa semper latitat, sed quia mille modis inter se nervi communicant, ac unus truncus nervosus innumeras de se spargit ramificationes, in aliis partibus vitiosa illa acrimonia hærere potest, quæ per consensum partes illas contrahat convellatque.

§. 35. Convulsiones & spasmi illi scorbuticis ita sunt frequentes, ut dolores illi vagi & fixi, abdominis, aliarumq; partium quibus vexantur sint convulsivi. Cætera quæ convulsiones spectant, peti possunt ex

tertio Morbo Cardinali ubi de Epilepsia acturi erimus, quæ quoque ex hoc Cardinali morbo oriri potest, verum cum illa ex Cachexia frequentior sit, hic de ea agere studio supersedemus.

Halitus foetidus.

§. 36. Pergimus ad halitum fœtidum, quo scorbutici adeo graviter laborant, ut & aliis fastidium sui incutiant & horrorem, indignique plane censeantur, quibus familiarius utere. Halitus hic fœtidus cloacæ fœtori simillimus est, aut illi, quem putrida, & carnes corruptæ exhalant. Causa hujus mali est sanguis suffocatus, rancidus, & sideratus, qui eandem quoque salivam in os deponit, rancidam scilicet & sideratam; adeo ut ex hoc satis appareat, scorbutum esse sanguinem suffocatum, aut incipientem putredinem, quæ in primis suis initiis non ita advertitur, cum tanta sanguinis nondum adest corruptio, quam ubi ad excellentiam pervenit; tum enim corruptio illa & sideratio magis advertitur, quam gravissimus ille odor tam oris, quam sudoris & ulcerum manifeste indicat: sic namque sensim, vivo etiam corpore, putrescunt scorbutici, usque dum mors omnimodam inferat putredinem.

§. 37. Gravius autem olere solent mane, quam quocunque diei tempore, quod inter noctu minus os moveatur commodiusque & vehementius corrumpi potest, dum humores illi crassi in saliva existentes conjugium ineunt cum particulis ejus volatilib9, quas magis supprimendo & suffocando deteriorem corruptionem salivæ inferunt. Sic omnia illa grave olent, in quibus particulæ volatiles sunt exhalatæ aut suppressæ, ut ex supra dictis luculenter patet. Sic quoque spiritus nonnulli fœtorem de se spargunt, qui nondum sunt rectificati, nulla alia de causa, quam quod spirituosæ nonnullæ particulæ crassis olei ramulis sint involutæ, è quibus si liberantur, quod digerendo aut rectificando fit, gratius nares feriunt. Non negamus interim malum hoc gravius reddi, maximasque vires acquirere ubi gingivarum exesio & dentium caries accesserint; in cavernulis namque istis portio aliqua ciborum solet delitescere, quæ mora sua & vitiosa à saliva inchoata fermentatione corrumpitur.

§. 38. Neque tamen dissimulem, non infimam hujus mali causam esse vapores, singulis respirationibus explosi in aërem adacti, & ad aliorū nares elapsi: unius enim

rei plures possunt esse causæ: nec enim alias intelligi posset, qui halitus è longinquo ab aliis perciperetur, & quidem maxime, ubi sermones nobiscum miscent? Advertentes enim, nos inopino hoc fœtore percelli, manum ori admovent, vel pudore suffusi, loqui timent, aut faciem à nobis avertunt. Præter itaque salivam, gingivarum exesionem, & dentium cariem, sanguinem ipsum in jus vocamus, statuimusque eum corruptum ac suffocatum existere, ac propterea non posse non fœtere; sic non modo halitus horum hominum, sed & ipse sudor grave olet, imo toti quanti, quanti hircum olent, tetramque spirant mephitim. Istiusmodi sanguis per pulmones fluens magno agmine vapores eructat, præprimis ubi loquendo motus pulmonum increbescit, qui jam ulterius propulsi, & in aëre oberrantes, in plurimos alios imprimis eos, quibus directe oppositi sunt, corrumpunt, nariumque fibras gravissime concutiendo & convellendo, ingratissimi odoris ideam in mente producunt.

Ptyalismus

§. 39. Scorbuticos etiam infestare solet Ptyallismus, in quo continuo salivam exspuere coguntur, summe acrem, valdeque corrosivam, adeo, ut linteaminibus maculas

las non raro affricet. Causa est ingens saburra succi acidi & viscidi in sanguine oberrantis, quæ cum in lympham verti & per renum tubulos excerni, aut per transpirationem eliminari non potest, per alia secretoria viam sibi parat, per quam exitum quærit; hinc acrimonia sua vellicat tubulos salivales, qui crebrius contracti in majori copia lympham exspuunt.

Cruentatio gingivarum, dentium vacillatio & caries.

§. 40. Inter scorbuti symptomata familiam fere ducunt cruentatio gingivarum, dentium vacillatio, & caries. Ex hoc signo de præsentia scorbuti cognoscere mos est. Hi homines fere nihil masticare possunt, quin sanguis erumpat, dentesque jamjam casum minari videantur. Celeri passu crescit malum, adeo, ut nisi in tempore suppetias tuleris, omnes tristi fato dentes decidant. Accusamus salivam particulis acidis & corrosivis imprægnatam, quæ in os nunquam non depluens inter dentes gingivasque hæret, ubi particulæ ejus acidæ & aculeatæ à materia subtili in tubulos gingivæ adactæ, eos infringunt rumpuntque, sicque sanguinis effluxum producunt.

§. 41. Hæ particulæ acidæ impetum facientes in dentes eos exedunt & conterunt, tubulisque alcalium se insinuantes, eos

loco movendo, in maiorem molem elevant, & de se aliquid emittunt, quod tartarum vocare solent; hic vero incrementum sumit à particulis salivæ, quarum superficies, cum apprime conveniat, cum superficie hujus tartari, globuli secundi elementi se interponere non possunt, multo minꝰ contraria pressio mutuam superficierum conjunctionem impedire, quin retropulsi & ab omni parte æqualiter insilientes efficiunt, ut durum solidumque inde corpus dentibus innascatur, non nisi vi ab ipsis revellendum.

§. 42. Hoc acidum in denes tanta pertinacia, tantoque impetu agens tandem eos comminuere & in minimas particulas diffringere poterit, non aliter, ac ebur, aut quodcunque aliud os liquori acido immersum, tandem levi negotio frangi & in frusta comminui, imo in pollinem redigi se patitur: Qui carie alicujus ossis laborant, hoc fatum subeunt, id ergo, ubi dentibus accidit, jure carie effici dicuntur.

§. 43. Vacillant dentes ubi membranæ eorum ab his cultellis acidis & corrosivis corrosæ & discerptæ tenere eos amplius nequeunt. Interea temporis vasa sanguifera læsa, sanguinem fundunt, nerveæ

veæ vero fibræ vellicatæ, dolorum faces accendunt. Periculum imminet ne tandem dentes exesi decidant, ipsaque gingiva sphacelo corripiatur.

§. 44. Familiare admodum scorbuticis est symptoma palpitatio cordis, quæ nihil aliud est, quam motus coactus aut convulsivus, vel parva cordis epilepsia. Mulctantur malo hoc ubi terrore concutiuntur, hoc in casu succus nervosus inordinate ad cor fluit; unde dum coarctantur ejus ventriculi, & sanguis prompte egredi nescius, diutius, quam par est, moratur, insurgit succus nerveus crebrioribus ictibus, & tarditatem sanguinis, pulsus celeritate compensare nititur. Hic etiam symbolum suum confert sanguis suffocatus, acidus & viscidus, qui ad cordis thalamos delatus, cum strictiorem habet compagem, & ad intumescendum inhabilem, cor sufficienter expandere non potest; hinc subito contrahitur ac iterum dilatatur, ut sanguinem illum crassum ac suffocatum, iterato & sæpius repetito pulsu, expellat. Fieri enim nequit, ut sanguis ille suffocatus rite intumescat, cum particulæ volatiles in eo vel deficiunt, vel suffocatæ sunt.

Palpitatio cordis.

§. 45. Jam liquido constare reor, unde

de palpitatio cordis proficiscatur, scilicet dum sanguis, vel crassus, vel grumosus, vel polypus, vel vermes, vel quodcunque aliud debitam constrictionem impedit, quam subito sequitur expansio. quæ similiter imperfecta, nec diu durare potest, qua sufficiens copia sanguinis admitti aut admissa licet, expelli nequit. Atque in hac dimidietate, & imperfectæ constrictionis & expansionis subitanea reciprocatione, palpitatio cordis consistit.

§. 46. Præterea sanguis acidis rigidisque particulis imbutus fibras nerveas cordis divellendo & contrahendo, motum hunc convulsivum vel palpipationem cordis cudere potest. Nec ipsum succum nervosum absolvimus, qui si crassior & acrior sit, constringere rite nequit ventriculos cordis, quin eos vel nimis imbecilliter, vel convulsive & spasmodice contrahat, hinc celerius, quam par est, dilatationes & contractiones se invicem excipiunt.

§. 47. Ut plurimum autem hoc malum invadit post prandium, si cibis largiter, iisque viscidis se invitarunt: hoc ipsum lucem fœnerat iis, quæ modo dicta sunt: docemur namque chylum recens advectum, in ventriculo non esse rite exaltatum, sed suffo-

ſuffocatum, viſcidum, adeoque tardius eum per thalamos cordis ferri, minus intumeſcere, ſicque modo ſuperius dicto, malum hoc producere. Dein dum diaphragma in deſcenſu ſuo impeditur propter repletionem ventriculi, minus ſpatium acquirit cor pro diaſtole, quæ à liberiori diaphragmatis deſcenſu multum promovetur; cum propterea cor, mediante pericardio annecti debuit diaphragmati, ut ab hoc, facta cordis ſyſtole, iterum retrahatur, pro largiore ejus diaſtole. Hic morbus ſæpe numero periculoſiores portendit, ut ſyncopen, imo repentinam mortem, cum in ipſis thalamis cordis jamjam ſanguis ſtagnare videtur.

Appetitus proſtratus.

§. 48. Si ventriculum ſcorbuticorum inſpiciamus, nunc appetitus eſt proſtratus, quia ex ſanguine viſcoſum, lentum ac ſuffocatum in eum defertur fermentum, quod activitate ſua deſtitutum, nec orificium ventriculi rodere, nec cibos diſſolvere, nec in laudabilem chylum vertere par eſt, ſed eos in craſſum, viſcidum ac ſuffocatum chylum degenerare facit. Hujus criminis rea quoque eſt habenda ſaliva, quæ, ſi bene eſt conſtituta, ſanitati noſtræ maxime conducit, eam fovet, tuetur, optimique fer-

fermenti officio fungitur: verum in scorbuticis res longe aliter se habet, ubi à bonitate sua longissime desciscens saliva, pessimi fermenti effectus in œconomia sua disseminat, dum cibos abire sinit in cruditates hoc est male fermentat.

Appetitus auctus.

§. 49. Nunc appetitus est auctus, ut plurimum enim strenue appetunt, ac male digerunt, imo elapsis tantum aliquot post pastum horis, iterum egregie appetunt. Causa est fermentum acidum & corrosivum, quod rodendo orificium ventriculi superius, mentem continuo admonet de cibis assumendis; hinc alimenta avide ingesta similiter acescunt, quæ dum adhuc in ventriculo morantur, iterum arrodunt nervos; & animæ occasionem præbet de cibis assumendis cogitare, licet corpus iis nullo modo adhuc indigeat, hæ arrosiones sæpe cardialgiis admodum familiares, scorbuticis, nauseam, vomitum, aliaque molesta symptomata producunt, quæ ad unum fere omnes sunt convulsiva, ut tensiones hypochondriorum, inflationes, quorum succinctam trademus rationem, ubi de passione hypochondriaca acturi erimus, quæ æque ex cachexia, ac ex scorbuto natales suos derivat.

§. 50.

Dolores intestinorum.

§. 50. Doloribus intestinorum atrociter affliguntur, qui tamen non semper sunt intestinales; abundant tamen in iis humores acidi & corrosivi, qui corrodendo, lancinando immanes hos & fando inexplicabiles cudunt cruciatus; hi dolores utplurimum sunt convulsivi & spasmodici, nunc fixi nunc vagi. Horum causam esse putamus convulsionem in nonnullis fibrillis nerveis, quæ si vellicantur & trahuntur aliasque in consensum trahunt, quod facile contingit, dum omnia viscera abdominis à pari nervorum octavo ramificationes accipiunt, quæ diversimode inter se communicant, dolores illi sæpe etiam sunt fixi, atque unam saltem plagam afficere videntur; in nonnullis abdomen ita interiora versus retrahitur, ut erecto corpore incedere nequeant: horum causa alia non est, quam convulsio aliqua, orta ab humore acido-viscido, qui intestinorum parietibus agglutinatus, non ita facile loco movetur, nec ita auscultat resolventibus, volatilibus, quia acidum illud corrosivum firmius inhæret pituitæ, ex cujus involucris ramulisque ita facile extricari nequit.

§. 51. Deferuntur autem humores illi acidi corrosivi in intestina ex variis cor-

poris nostri partibus I. est saliva, quæ continuo deglutita, dolorum faces accendit, quod experiuntur illi, qui ptyalismo laborant, & salivam illam deglutiunt. II. est fermentum ventriculi acrius, & alimenta acidam diathesin nacta. III. Ingravescunt hi dolores, ubi ex pancreate auxiliatrices copiæ, id est, major acidi viscidique vis suppeditatur. Denique IV. his adstipulatur ingens humorum acidorum copia ex glandulis intestinalibus ad intestina delata, quæ omnia conjunctis interdum viribus atrocissimorum dolorum causa existunt.

Alvus adstricta.

§. 52. Hæ in intestinis convulsiones aut spasmi, constipationem alvi sæpe numero inducunt, dum intestina corrugantur, constringuntur ac rigescunt; ut excrementa debite propelli nequeant; hinc cessante motu peristaltico, segnius illa moventur, arctius agglomerantur, & indurantur. Hujus indurationis causa quoque est lympha intestinalis viscida, quæ parcius in intestina depluendo, minus excrementa diluit ut commodius protrudi queant. Hanc sibi labem præprimis illi affricant, qui viscidis cibis largiter se invitant, parce autem bibunt. Tantum

tum enim abest, ut fermentum sufficere possit imprimis potu destitutum ad viscidirates illas resolvendas. Deficiente ergo potu hærent excrementa, & arctam suam compagem retinent & multorum symptomatum non inficiandi parentes existunt: fluente namque alvo melius habent, obstructa autem, pejus.

Diarrhæa & dysenteria.

§. 53. Nec silentio involvenda est scorbuticorum diarrhæa ac dysenteria, quæ eandem, ac reliqua scorbuti symptomata, agnoscunt causam, sanguinem scilicet suffocatum ac acido-salsum; id quod testantur socii navales, qui malo hoc corripiuntur, dum per longum tempus alimenta non nisi rancida, suffocata, sale & fumo corrupta, comedunt; ex quibus suffocatus & acido-salsus generatur chylus, qui ad sanguinem delatus, eum non potest non suffocare ac acriorem reddere; unde ex tali sanguine similes quoque humores in intestina deferuntur, qui intestina rodendo, ea ad crebriorem contractionem sollicitant, quare continuo & indesinenter humores lymphatici, excrementis mixti, per anum excluduntur. Quod si contingat, ut ab humoribus illis acidis glandulæ intestinales obstructæ exedantur, membranæ arrodantur,

tandemque vasa sanguinea aperiantur, ingens lymphæ sanguinisque copia ejicitur.

Dolores fixi & vagi. §. 54. Doloribus subinde fixis nunc vagis vexantur: Nunc enim dolores spasmodicos sentiunt in dextro latere, mox in sinistro, nunc in pedibus, mox in manibus & articularibus, nunc in lumbis, mox in scapulis aliisq; partibus; horum omnium causam esse contendimus sanguinem acidum, ex quo generatur lympha & succus nervos9 acrior, qui in musculis hinc inde stagnant, eos lancinant scinduntque. Hi dolores nunc in hac parre remittunt, nunc in alia se produnt: Quod humores acres stagnantes nunc in hac parte pedem promoveant, nunc iterum in alia parte alii pedem figant.

Macula. §. 55. Frequentissimum scorbuti symptoma, sunt maculæ diversæ magnitudinis, nunc rubræ, nunc lividæ, flavæ, hinc inde manus pedesque obsidentes. Oriuntur à generali illa scorbuti causa, sanguine suffocato, viscido-acido, qui cum lentius progreditur, in angustissimis musculorum tubulis, per quos ille ab extremitatibus arteriarum ad venas pergere debebat, stagnat & pro varia particularum configuratione, varii coloris maculas producit. Accusamus hic sanguinem non lympham, quæ coagulata

lata colorem atrum lividumque referre nequit. In maculis iſtis tamen nullus apparet tumor, quod ſanguis, qui per arteriæ extremitates ad hos tubulos ferri debebat per alios tubulos laterales iter flectat; id quod in tumoribꝰ non contingit; tubuli enim hic nec ſanguinem transmittunt, nec tubulos laterales agnoſcunt, per quos regurgitare aut remeare poſſit. Maculæ hæ nihil periculi portendunt.

§. 56. Solent ſcorbutici conqueri de pruritu, imprimis fœminæ, quæ vitam ducunt ſedentariam, corporisque exercitationibus rariſſime indulgent: Sic namque particulæ aculeatæ & ſcindentes ad tubulos cutaneos propulſæ, vel viſciditatibus involutæ, juſtoque craſſiores exiſtentes, vel ab aëre ambiente frigido detentæ, ſi in aërem evaneſcere nequeunt, ſubſiſtunt, papillasq; nerveas agitando & vellicando pruritum hunc cient intolerabilem. Cauſa ergo eſt prædominium particularum acidarum, & ſalſarũ in ſanguine, ſecundo impedita inſenſibilis tranſpiratio, nec enim omnes ſcorbutici hoc pruritu afficiuntur, ſed illi, qui otio indormiſcentes, inſenſibili tranſpirationi, qua nihil ad ſanitatem conſervandam præſtabilius, obicem ponunt. *Pruritus.*

§. 57. Scorbutum puſtulæ, ulceraque in va- *Puſtula, ulcera.*

variis partibus insequi solent; oriuntur ab obstructis vasis lymphaticis seu lactiferis, quæ non nisi succum nutritium vel lacteum transmittunt. Crassus hic suffocatus, acrior & viscidior succus nutritius vel lacteus in tubulis suis hærens, cum continuo ab advectis recens humoribus prematur, dilatat vasa sua, & in majorem molem effert; quod si adhuc pressio illa instat, rumpuntur, dilacerantur & succus ille effluit. Qui si diutius extra vasa sua moratur, particulæ volatiles fugam capessant, crassiores & acidiores ita poros obstruunt, ut materia subtilis recta per eos fluere nequeat, sed nunc in hunc, nunc in illum porum impingere cogatur; unde particulæ incerto turbatoque ordine agitantur: cujus rapidissimo motu abreptæ particulæ calorem concipiunt.

§. 58. Cum itaque particulæ usque & usque agitantur, acidi isti cultelli pungentesque aciculæ, horsum vorsum volitantes, rumpunt, frangunt & discerpunt fibras; unde dolor nascitur & pruritus, usque dum ruptis tubulis ulceris fundamenta ponuntur. Rubedo tumoris oritur, quod vasa plus sanguinis advehant, quam revehi, propter obstructos tubulos, commode potest; cum igitur ille ita inclusus, nec progredi,

nec

nec regredi queat, ſtagnat, vaſa dilatat, & rubedinem ſuam extra ea projicit. Hæc ulcera & puſtulæ in brachiis & pedibus potiſſimum apparere ſolent; eo quod aëris injuriis hæ partes magis expoſitæ ſint; unde ſucci proclivius etiam in ſtagnationem propendent.

§. 59. Niſi in tempore hæc ulcera curaveris, graveolent & ulterius ſerpunt, dum particulæ acriores & magis corroſivæ redditæ, plurimos tubulos diſrumpunt; unde continuo manant, vixque ullam curationem admittunt, aut in fiſtulas degenerant, dum ex ſucco nutritio continuo advecto, coagulato & viſcido, tubuli formantur callo obducti; id quod facile contingit, quia particulis volatilibus exhalatis, viſcidiores remanent, quæ á continuo humorum effluxu ac preſſione corporum externorum magis magisque agglomerantur ac comprimuntur: non aliter, ac videmus in caſeo cruſtam generari à calore & preſſione corporum ambientium.

Phthiſis.

§. 60. Cum itaque demonſtravimus ſanguinem ſuccumque nutritium acrem, corroſivum, glutinoſum, ſuffocatum ac rancidum exiſtere, quid mirum ſi tubuli eo de-

fraudati, cum ad eos pervenire nullo modo possit, flaccescat & extrema oriatur macies? Quod, si jam sibi relinquatur malum, & salium cultelli acutiores evadant, mirari non debemus, si pulmonalium tubulorũ meandros & fibras nimis dilatent, tandemq; erodant ac exedant, sicq; veram phthysin producant, inde est, ut tandem scorbutici in phthysin incurrere soleant. Æque enim tubuli harum partium exedi possunt, ut & partium externarum tubulos in pustulis & ulceribꝰ externis exedi supra demonstravimus.

§. 61. Præterea cum sanguis istiusmodi particulis corrosivis imprægnatus est, simile inde in ventriculum amandatur fermentum, quod eandem labem imprimit chylo, sanguinem de malo pejorem reddituro. Hic causarum circulus probe attendi debet. Omnia namq; in œconomia animali mutuam sibi præstant operam, & ut ad valetudinem conservandam. Sic & ad morbos nutriendos, facile conspirant. Sanguis ita acribus corrosivisque fœtus particulis tardeq; propterea & lente incedens, non semper in tubulis pulmonum subsistit, ibidemque obstructionem, post ruptionem molitur, sed & in aliis quibuscunq; partibus solidis, hepate, mesenterio, renibus, pancreate, aliisque

idem

idem malum cudere potest: Contingit enim nonnunquam, ut particulæ illæ acriores pulmonum quidem tubulos non vero renum permeare possint, hinc in his pedem figentes, sensim sensimq; ulcus producunt. Observatum est aliquoties ulcera in extremis corporis partibus Phtysin produxisse, quatenus prætervectus sanguis & succi aliquot particulas secum rapuere, quæ mixtionem sanguinis turbando, febrem hecticam peperere, sed de his infra.

§. 62. Facile quoque scorbutici sudoribus diffluunt, si corpus moderate saltem exerceant, aut leviter incalescant: sic enim humores illi crassi in motum abripiuntur, qui cum crassiores & graviores sunt; quam ut insensibiliter evaporare possint, in superficie cutis hærent, guttasque efficiunt. Insuper, cum humores illi sunt acres, acidi & salsi, fibras subcutaneas vellicant, quæ vellicatæ, crebrius se contrahunt, & ex glandulis subcutaneis lympham vi exprimunt, unde etiam est, quod sudores illi cum pruritu ac rosione quadam erumpant. Illi quoque qui commessationibus indulgent, facile ad istiusmodi sudores disponuntur: obruunt enim sanguinem suum lymphamque multo chylo acido, viscido, qui minimarum particularum effervescen-

Sudores nocturni.

tiam sufflaminat; unde cum ille exaltari satis nequit, & per insensibilem transpirationem ejici, in superficie hæret, & sensibiliter evaporat præprimis si corpus post somnum leviter saltem tegunt, magno agmine, ac si totidem aciculis cutis pungeretur, sudores erumpunt.

Lassitudo spontanea.

§. 63. De lassitudine spontanea nemo non conqueritur scorbuticorum, ubi scalas ascendere vel concitatiori passu obambulare præsumunt, dictum factum incalescunt, sudore obruuntur, palpitat cor & delassati ad quietem se componere tenentur. Causa equidem hujus mali in promptu est. In statu sano sanguis, omnesque ab eo dependentes succi, per omnes totius corporis tubulos celerrime & liberrime meant, remeantque, hinc rite & recte omnia se habent, functionibusque edendis omnibus, machina nostra aptissima est. Verum enim vero, ubi sanguis succique crassis, glutinosis, acidis salsisque particulis arctissime inter se connexis conflati sunt, neque tam prompte neque omnes tubulos corporis nostri perferrare possunt, omnes functiones læduntur, omnis motus lentius tardiusque peragitur. Dum succus ille viscidus tubulos subit, hinc inde visciditates quædam hærent, glu-

glutinis instar particulis suis ramosis, fibras capreolorum instar, contortas & convolutas implicant, & intricant hæ jam viscidi-tates fibrillis impactæ, tubulos angustant, per quos dum liber succorum transitus impeditur, lassitudo oritur. Tandem cum visciditas succorum defectui salium volatilium debeatur, sequitur ex tali sanguine non posse elaborari succum nervosum satis subtilem & volatilem, idoneumque ad motus omnes in corpore nostro feliciter & ex voto peragendos. Latet hic anguis in herba, malumque per cuniculos agit, principiis ergo obsta.

Scorbutus quare sit contagiosus.

§. 64. Sed unde scorbutus aliis per contagium communicari potest; sic ubi quis in eodem lecto cum scorbutico cubat, aut familiarius eodem utitur, particulæ illæ suffocatæ, acidæ, salsæ, per insensibilem transpirationem continuo exhalantes in cutim sani hominis impetum faciunt, ubi propulsi eo usque humores circulantes amplectuntur: Quemadmodum enim pauca moschi & ambræ effluvia reficere nos & refocillare, sanguinemque languidulum excitare possunt: Aut si vasi aliquo, quod situm spirat, vinum infunditur, illud eodem modo corrumpitur, eundemque tetrum ex-

exhalabit odorem ſic & hæc particularum ſuffocatarum acidarum congeries ſanguinem non poteſt non corrumpere penitusque evertere ſed hæc preſſius.

§. 65. Simul hæc effluvia, in exigua etiam copia, ad ſanguinem perveniunt, materia ſubtilis illa dividit, idque in infinitum: ſunt enim omnia corpora in infinitum diviſibilia. Hinc particulæ ita diviſæ ſe particulis ramoſis aliisque immiſcent, quas in motu ſuo impediunt, non aliter ac acetum operatur in unguento nutrito: omni enim fluiditate dempta, majorem ipſi affert conſiſtentiam, quod aceti particulæ obruant olei ramulos eorumque figuram immutent.

Prognoſis generalis.

§. 66. Prognoſin generalem quod ſpectat, ſcorbutus in principio, modo in tempore ſuccurratur, adeo periculoſus non eſt, cedit facile, etiam notiſſimis & viliſſimis remediis. Inveteratus contumax eſt, & eludit optima quævis, imprimis hæreditarius. Ubi tutum ſanguinem labes hæc invaſerit, cum ea elui facile nequeat, ardua eſt & difficilis curatio, Suffocati namque rancidi & corrupti humores, fermenti vicem ſupplentes, non ita facile in naturalem rediguntur fermentatio-

tionem. Adde, quod flocci illud faciant homines, dein ab assiduo & continuato remediorum usu abhorreant, denique rationali diætæ fasces submittere tergiversentur. Quod particularem prognosin attinet, de ea jam egimus & imposterum acturi erimus.

Cura generalis.

§. 67. Jam ad curam properamus. Inventa mali causa, proclive est invenire remedia; nimirum, cum hoc malum nihil aliud sit, quam sanguis suffocatus, viscido acidus & viscido-salsus, illa omnia locum inveniunt, quæ suffocatum sanguinem restituunt, viscidum incidunt, acidum & salsum temperant & enervant, sicque circulationem sanguinis pristino vigori restituunt.

§. 68. Hujusmodi sunt omnia alcalia, tam fixa quam volatilia, aromatica. h. e. Sale volatili oleoso luxuriantia: denique martialia. Alcalia acidum temperare, extra omnem dubitationis aleam positum est: ubi enim acidum & alcali inter se concurrunt, cultelli acidi impelluntur in tubulos salis alcali, tanquam totidem vaginulas, quibus ita absconditi, scindere amplius non possunt, sic affusum cretæ, corallis, lapidibus cancrorum acetum, dul-

dulcescit. Sic in elaboratione sachari Saturni acetum similiter acorem suum exuit qui Vitriolum Martis conficere norunt, illudque aliquando delibarunt, mirari desinent Martem infringere & imbibere acidum. Affunditur Spir. Vitrioli marti tum orta effervescentia, aculei salis acidi infracti ferri tubulis conduntur & assumuntur, unde scindendi vim deponunt omnem. Salia volatilia hic egregiam navare operam, testatur Spirit. Salis armon. vino Rhenano ad saturationem infusus, ubi animadvertere est illud suborta effervescentia & infracta aciditate, subdulcem præ se ferre saporem: manifesto argumento, tubulis salis volatilis se insinuasse salis acidi cultellos, sicque se privasse omni scindendi facultate.

§. 69. Omnia aromata in recessu habent particulas ramosas salinas, volatiles, quæ materiæ subtili innatantes, rapidissimo hujus motu abripiuntur, ex his necessario fluit, hujus generis particulas aptissimas esse, motum imprimere languenti sanguini, visciditates attenuare & resolvere, suffocatam sanguinis fermentationem restituere, insensibilem transpirationem promovere, per eamque ingentem salium

aci-

acidorum vim excludere. Clarius ut dicam, hæ particulæ vehementiſſimo motu abreptæ, non poſſunt non aliquot motus ſui gradus communicare craſſis lentisque particulis, uti ignis ligni particulas concutit & in motum ſecum auffert.

§. 70. Omne igitur curationis momentum ſitum eſt in craſſis, obſtructionum Autoribus, attenuandis & incidendis. Equidem niſi obſtructiones pabulo ſuo defraudantur, hoc eſt, de novo nihil craſſi, ſuffocati & viſcidi generatur, ſuapte ſponte ſolvi ſolent, ceu arbor, ſucciſa radice, exareſcit. Præterea habent ſe volatilia & aromatica inſtar fermentorum, quæ ſuffocatam ſanguinis fermentationem reſtituere, priſtino vigori apta nata ſunt, ceu videmus vina viſcida & ſuffocata, addito novo fermento ſpirituoſo, iterum reſtitui priſtinæ bonitati.

Alcalia fixa.

§. 71. Alcalium terreſtrium, fixorum albo inſcribimus ſequentia, teſtas, conchas, ocul. cancr. teſtas oſtrearum, conchas cochlearum, & mytilorum, cretam, chalybem, cinnabarina, corallia alba & rubra, lapidem ſciſſilem, matrem perlarum, antim. diaphor. bezoarticum mart.

mart. minerale, Solare, Sacharum Saturni.

§. 72. His ſuccedunt ſalia fixa puriora, quæ eatenus ſolum differunt à prioribus, quod hæc particulis heterogeneis, terreſtribus adeo arcte alligata non ſint, ſed exigua terreſtrium acidarumque particularum copia cryſtalliſata & quaſi vitrificata. A volatilibus eatenus differunt, quod hæc omnibus illis particulis fixioribus liberata ſui juris magis exiſtant. Salia fixa vel digeſtiva ſunt ſeq. Sal. Abſinth. Card. Bened. Centaur. minor & Tartari. Ol. Tartar. per deliq. Arcan. duplic. Alcah. Glaub. Tart. Vitriol. Vitriol. mart.

Volatilia. §. 73. Salia volatilia fere ſunt ſequentia Spir. Salis Armon. Corn. Cerv. Urinæ. fuliginis & ſanguinis. Sal. vol. ſuccini. vol. oleoſum Tinctur. Succini. Quæ reſtant Antiſcorb. jure aromatica ſalutantur, quod præter Sal volatile etiam ſubtile oleoſum in receſſu habeant: hujusmodi ſunt Rad. Acori. Helenii. Angel. Salſæparillæ. Apii &c. Cepæ. Chelid. majus. China. Cichor. Raphanus Ruſticanus, Zingiber, Cinnamom. Cortices Limonum, Aurantiorum & Winterani, Macis. Abſinth. Beccabunga, Cochlearia, Flammula Jovis Trifol.

Aqua-

Aquatic. Piperit. & Nasturtii variæ species Carduus Bened. Nicotiana Herba Theé Sinapi, Erysimum Rosmar. Salvia, Crocus, Piper, Cubebæ, Galanga minor & major. Gentiana, Cardamomum, Caryoph. Gummata varia, ut Ammoniacum, Bdellium, Asa fœtida, Galban, Resina. Quajaci. Ex quibus modo memoratis variæ possunt parari formulæ, Spiritus, Tincturæ, Elixiria, & condita: neque enim magnum & in pompam compositorum apparatum opus esse judicamus, quin mordicus tenendum, non multa, sed multum. Inserviendum aliquando ægrotantis palato, & mutanda medicamenta, ne eorum fastidium incurrat.

§. 74. Inter omnia Antiscorbutica caput effert, eminetque, velut inter stellas luna minores, sal volat. oleosum, quo solo diligenter in usum vocato, non raro funditus scorbutum exstirpaveris. Succedant illi Spiritus ex antiscorbuticis parati; quos tamen omnibus numeris antecellit Elixir vitæ Domini Overcamp. hactenus à me inter secretiora relatum: cujus descriptionem alia occasione candide communicabo, prout illam ab ipso Domino Overcamp. Præceptore meo summe vene-

rando accepi. Video equidem ejus varias descriptiones hinc inde circumferri, sed nulla, quæ mihi saltem videre licuit, genuina est.

§. 75. Sunt qui ferre non possunt volatilia, imprimis omnes fere fœminæ, nec non illi, qui scorbuto sic dicto calido laborant, in quo manifesta acrimonia acida peccat. His Autor sum, ut ea in exigua dosi, multa aqua, v. gr. potu Theé vel Coffeé diluta assumant, idque repetitis vicibus. Facile namque fieri potest, ut particulæ volatiles in cerebrum abreptæ, vehementer exagitent, adeoque subtilisent succum nerveum, ut particulis volatilioribus evanescentibus, non nisi crassæ & viscidæ remaneant, quin & hæ vehementi motu nimiaque tubulorum dilatatione in tubulos impellantur, ibidemque hærendo vasa distendendo & in parietes vasorum impingendo, dolores pariant, obstructionesque adaugeant.

Acida. §. 76. Inter Antiscorbutica à nonnullis referri solent acida; sed hæc consulto à nobis rejiciuntur cum obstructiones confirmant, & pertinaces adeo reddant, ut postea vel optimis remediis cedere recusent. Ut autem ab iis nobis cavere possimus,

mus, quorum usus apud Practicos modernos invaluit, nonnulla in medium proferamus. Acetosa, acetosella, Acetaria omnia, Citrium malum, Aurantia acida, Tamarindi, vina acida, Rhenanum, serum lactis acidum, Spir. Vitriol. Sulph. per campan. Ribesia, Cerasa Omphacium &c.

§. 77. Venæ sectionem classi Antiscorbuticorum exulare jubemus. Extrahe enim illius, quantum volueris, nunquam tamen efficies, ut relictus subtilior inde fiat, obstructiones tollantur, denique omnes succi liberius fluant, & legitime effervescant. Quin eum crassiorem fieri & tardius circumferri debere, ratio clamitat, cum ingenti vi Salis volatilis exhausta advectus recens chylus nec satis attenuari, nec assimilari potest, nec succi circulantes impelli alacrius. Levamen quidem afferre videtur, sed solum videtur: cum enim sanguis tardius ita feratur, in angustos tubulos allidit remissius, minus eos distendit; hinc mitescere symptomata videntur, sed temporarium hoc est: Obstructiones enim illæ intactæ manent, suffocatio humorum non restituitur, in quorum restitutione totius curationis cardo vertetur. Verum

Venæ sectio.

rum si plethora eam indicare videatur (quam tamen existere dubitant Practici non pauci optimis innixi rationibus) nonne satius foret aliis evacuantibus humorum quantitatem imminuere v. gr. sudoriferis, diureticis, aut unius diei inedia; qua tantum humorum evacuatur tam per excretoria insensibilia, quam sensibilia, ut fidem superet juxta computationem Sanctorii: imo hoc quoque inde exsurgit commodum, quod particulæ omnes hac ratione attenuentur & volatilisentur; id quod à venæ sectione nunquam erit exspectandum.

Purgantia. §. 78. Purgantia eadem opera ex Antiscorbuticorum numero proscribimus. Certe, quo scorbutici minus purgantur, eo melius se habent, irritantur enim crabrones, ac malum iis exasperatur si tamen purgare velis, Gummata in majori dosi præscribas, aliaque humores viscidos attenuando & resolvendo, alvum laxantia, verum de his ubi de Cachexia acturi erimus.

Vomitoria. §. 79. Vomitoria, utut ad illorum nomen horrescant & trepident nonnulli, non modo propinanda, sed & pro re nata sæpius exhibenda existimamus, non est autem, ut hic

hic repetamus, quæ præscribenda sint, cum jam supra de iis egimus.

Cura doloris capitis

§. 80. Instituti nostri ratio jam exigit, ut primariorum scorbuti symptomatum curam in nos suscipiamus. Dolorem itaque capitis curaturi, videndum primo, an ille sit obtusus, an acutus vel lancinans: In hoc cave curam à volatilibus ordiaris, ne pressione in vasis minoribus aucta, malum pro tempore augeatur. Conveniunt itaque terrestria, absorbentia. Sic

℞. Ocul. can.
Antim. diaph. an. ℈ß.
Camph. gr. ij.
Tart. Vitriol. gr. ij.
Ol. st. Lavend. gutt. j. M.

Detur in potu Theé, levemque exspectet sudorem patiens. Vel.

℞. Sach. Saturn.
Cinnab. antim. an. gr. v.
Antih. Poter. ℈j.
Laud. opiat. gr. j. M.

Assumatur in eodem vehiculo. Dein lento gratu pedem promovere licebit ad volatilia, quibus opiata commode misceri possunt.

℞. Sal. vol. oleos. ℥j.
Essent. anod. volat. ʒij. M. D. ad 30. gutt.

§. 81. In gravativo dolore scrupulose, ab opiatis abstinendum: docent enim Annales Medicorum, ab intempestivo illorum usu apoplexiam vel Paralysin ortam esse. Tutius vero in hoc volatilia poteris propinare.

℞. Tinct. Succini ʒij.
Matric.
Castor.
Spir. C. C. essentif. an. ʒiij. M.

Detur ad 50. guttas. Cui mistura placet.

℞. Aq. Beton. ℥iij.
Spir. Antisc. ℥ß.
Sal. vol. oleos. ʒj
Elix. vit. ʒiij.
Tinct. matric. ʒij.
Corall. rubr.
Succini præp. an. ʒß.
Syrup. Cinnam. ʒj. M.

§. 82. Præterea in dolore gravativo vide an ventriculus bene se habeat? Quod si in eo fluctuant cruditates, ne dubites vomitorium exhibere: hic enim dolor videtur oriri per consensum. Sublata autem causa è ventriculo, tollitur effectus in capite.

te. Formulas in superioribus jam tradidimus. Cæterum conveniunt omnia stomachica: Elix. alk. Antiscorb. Dom. Bontekoe, Ess. Absynth. compos. Elix. vit. Aut si malum ortum traxisse videtur ex alvo adstricta, ea commendari possunt, quæ suo loco proponemus.

Cura vertiginis.

§. 83. In curanda vertigine videndum an malum sit per essentiam, vel per consensum. In principio malum fere semper est per consensum ventriculi, ideoque Vomitoria utramque absolvunt paginam, nec absque his se domari patitur. Dein stomachica & Antiscorbutica non ignavam præstabunt opem. Quod si radices egerit, malum tandem per essentiam affligit: in quo casu Cephalica Antepileptica conveniunt.

§. 84. Quo eo expeditior ad curam via sit, sciat Medicus, & enumerato habeat signa discretiva vertiginis per essentiam & per consensum: In illa namque præcedit capitis dolor, ejusdemque gravitas, Olfactus gustusque læsio. Aurium tinnitus, nulliusque partis subjectæ læsæ indicium adest. In hac vero præcedit nausea, Cardialgia, dolores & tensiones hypochondriorum, appetitus prostratus &c. unde non difficile est eam dignoscere.

§. 85. Cum malum hoc per paroxyſmos affligit, cura erit duplex alia in paroxyſmo, alia extra eum inſtituenda. In illa id incumbit tentare quicquid in Epilepticis & Apoplecticis paroxyſmis artis leges efflagitant, volatilia ſcilicet, eaque interdum opiatis miſta, ut ſic obſtructiones expediantur, inordinatusque ſucci nervoſi motus demulceatur.

§. 86. Extra paroxyſmum omnem moveat lapidem Medicus, ut redituro poſtliminio malo, omnis præcidatur occaſio. Huic intentioni ſatisfacturus, accuratiſſime inveſtiget, num per conſenſum, an per eſſentiam malum infeſtet: ſi prius, vomitorium commendet, ejusque uſum urgeat; poſt pulv. martiales volatilibus miſtos.

℞. Sal. vol. ſuccini ℈j.
Limat. mart. gr. xv.
Tart. Vitriol.
Caſtor. an. gr. IV. M.

Aſſumatur omni mane. Dein bis terve ſingulis diebus 50. guttas aſſumat. ſeq. miſturæ.

℞. Elix. alk. ℥ß.
Eſſ. Abſynth. comp.
Spir. Antiſc. an. ℨiij. M.

§. 87.

§. 87. Si per essentiam malum affligit, non modo in stomacho, sed & in ipsis tubulis cerebri, pertinax existat obstructio, conjicere haud arduum est, levioribus remediis rem peragi non posse. Proinde tota massa sanguinea corrigenda venit Antiscorbuticis: Tum vero omni die assumat aliquot gutt. Tinct. succini, aut Tinct. Matricalis, quæ in hoc casu egregiam merentur laudem. Cæterum omnia in Apoplexia & Epilepsia remedia laudanda conveniunt. Stercus pavonis pro specifico habetur, quod commode in electuario exhiberi potest.

℞. Conserv. flor. Anthos. ℥j.
Cubeb. ʒjß.
Cardam. ʒij.
Croci ʒj.
Sterc. pavonis. ℥j.
Cinnab. nativ. ʒß.
Corall. rubr. ʒij.
Syrup. stœch. q. s. F. Elect.

§. 88. Non immerito stercoris hujus virtus in dubium vocari potest: quicquid enim præstat, ratione salis volatilis præstat. Num vero illud magis appropriatum sit acido vertiginoso, hoc est talem figuram habeat, ut hoc potius acidum infringere

possit, quam quodcunque aliud, vel tales poros habeat, qui occultandis hujus acidi spiculis maxime sint accommodati, quemadmodum suam quisque culter, gladiusque vaginam requirit, aliis judicandum relinquo. An vero occultam aliquam ideam in se habeat, quod animal hoc superbo aut elato incedit passu, adeoque illam vertiginosis communicare possit, ut caput erectum servare, & motus vertiginosos eludere possint, disputent inter se, nobis vero ludibrium debent.

Cura affectuum soporosorum.

§. 89. In curatione affectuum soporosorum duplex est instituenda cura, altera in paroxysmo, altera extra eum. In paroxysmo fastidit hoc malum lenta remedia, segnesque Medicos. Omnis equidem curationis anima est occasio quam captet Medicus, & in tempore vocatus, quam promptissime opem ferat. Si sanguinea est apoplexia, venæ sectionem suadent Medici, quam quidem administrare licet; rerum enim tuarum sat egisse puta, si adstantibus ostenderis parum præsidii in ea situm esse, secus enim si ceciderit alea, habes quod dicas, consilia nostra non semper esse metienda eventu. Ambiguum interim est, dubiæque alæ plenum medicamentum, quod

quod ex operandi modo constabit. Oritur enim apoplexia sanguinea ab extravasato sanguine, vel á vasis mirum in modum dilatatis, principium nervorum vel prementibus, vel obstruentibus; unde sanguis ex corde explosus, vasa magis dilatat, sanguinemque extravasatum magis premit, molemque auget. Quod si jam vena tunditur, pressio imminuitur: cum enim aliorsum deducitur sanguis, lentius mittitur versus partem affectam unde levamen aliquod oriri poterit. Verum, non semper istiusmodi ratiociniis effectus respondent, cum longe alios interdum assequimur, quam ratiocinia nobis persuadebant; extrahitur enim hac ratione multum particularum spirituosarum; unde fieri non potest, quia sanguis crassior evadat, omnia symptomata ingravescant, ipsaque fata interdum anticipentur. Huc illud Celsi effatum spectat: *Sanguinis detractio aut occidit, aut liberat apoplecticum.*

§. 90. Nihil igitur omitte, quod ad excitandum ægrum spectare ullo modo poterit. Sunt qui vomitorium suadent, sunt qui dissuadent. Equidem non diffiteor, cum ad actum hunc sustinendum, copia succi nervosi requiratur, ejusdemque liberri-

berrimus influxus, utrumque vero in hoc casu desit, non nisi difficulter, nec absque periculo propinari posse. At vero, si ab altera parte consideratur periculi magnitudo, præstantiorum remediorum penuria, cum lente ad partem affectam, nec nisi divisis viribus perveniant, quis dubitabit, satius esse anceps aliquod experiri remedium, quam nullum actorem, quam spectatorem agere otiosum. Adde, vires hic non esse resolutas, sed suppressas, à materia viscida principium nervorum obstruente. Quod si vomitorium exhibes, nervi convelluntur, contrahuntur propelluntque viscidum humorem quo sic, obstructione expedita, æger excitetur. Sic ergo sentiamus, sic statuamus, duro nodo durum esse quærendum cuneum. In sanguinea autem vomitum ciere religio tibi sit, vasa namque rupta, hac succussione magis vulnerantur, sanguis copiosus extravasatur malumque redditur deterius.

§. 91. Itaque ad excitandum ægrum frictiones, vellicationes instituas. Oculis offerri debent corpora luminosa, aures clamoribus impleantur, præprimis proprio nomine eo, quod jam succus nervosus assuetus sit, ad eam maxime partem fluere,

pori-

porique ampliores ſint, cum per hoc ſæpius fluxerit; inſuper fibræ ita ſint diſpoſitæ, ut facile talem impreſſionem ſæpius factam recipiant & deferant.

§. 92. Naribus volatilia acria debent inflari, quæ conſtant particulis rigidis cedere neſciis, & obſtructiones reſerare aptis, qualis eſt Spir. Sal. Armon. cum calce viva paratus, isque calefactus, qui omnibus aliis fruſtra & in caſſum tentatis, opem promittit. Syringa injiciatur ſequens.

℞. Aq. Reg. Hung. ℥ß.
Spir. Salis armon. ʒij.
Ol. ſt. lavend. ℈j. M.

Pulveres ſternutatorii inſlentur naribus, tempora, vertex & nucha, ſpirituoſis inungantur.

℞. Ol. ſuccin. genuini ℥ß.
Rutæ.
Lavend. an. ʒß.
Tereb. Venet. ℥j. M.

Vel linteis duplicatis involvatur caput ſeq.

℞. Spir. Matric.
Rorism.
Major. an. ℥j.
Sal. armon. ℥ß.
Camph. ʒij.

Ol.

Ol. succini ℥iij. M.

Nuchæ imponantur vesicatoria ampla, & plantæ pedum fricentur sale.

§. 93. Usus etiam obtinuit enemata injicere, quæ injecta, si statim ejiciantur, malum est signum, quia omnium partium indicat resolutionem, tumque Medicus ultimam necessitatem indicabit. Si intra horam reddatur, bonum est; si plane non redditur, malum, eo quod succus nervosus non amplius influit ad motum peristalticum promovendum. Conveniunt itaque enemata acria, stimulantia.

℞. Aq. Bened. Rul. ℥v.
Spir. Sal. Armon.
Salis Tart.
Gemmæ an. ʒij.
Ess. Rorismar ʒß.
Ol. Rut. ℥j.
Aq. Cochlear. ℥iij. M.

Vel si hoc nimis acre videatur parari poterit ex facile parabilibus Aq. Cochlear. ℥vij. Spir. Cochl. ℥j. Sale Tart. ʒij. M.

§. 94. Quod si pertinacia mali omnium horum nobilium vim illudat, & stertor fatalis ingruescat, in extremo hoc gradu extremum remedium adhibendum suademus; Cauterium intelligo actuale, quod potenter

ter operatur. Huc quoque referri debet moxa, quæ vertici applicata præsentaneam quandoque opem ferre dicitur: dum enim materia subtilis magno agmine admissa, convellit & exagitat fibrillas nerveas, materia pituitosa propellitur & obstructiones expediuntur.

§. 95. Hactenus de cura in ipso paroxysmo, nunc quid extra paroxysmum faciendum, sedulo inquirendum. Sic interdum primis viis liberatis, ad salia volatilia, tanquam ad sacram anchoram confugiendum, quo obstructiones in tubulis nervisque factæ reserentur. Huic intentioni satisfacturus commendata tibi habeas salia volatilia ut Aq. Reg. Hung. Spirit. Sal. Armon. Sal vol. C. C. Sal vol. oleos. Elix. vit. Tinct. Succini, Matric. infusum herbæ Theé, quod generi nervoso valde amicum: nullum enim datur remedium, quod somnum æque arceat ac Theé, adeoque cerebro suppeditet copiam succi nervosi. Seq. pulverem horis matutinis & vespertinis absorbeat.

℞. Sal. vol. C. C.
Succini.
Camphor. an. ℈j.
Cinnab. nativ,

Ca-

Castor. an. ℈ſs.

Ol. ſt. Lavend. gutt. ij. M.

Detur duabus vicibus.

§. 96. In omni prandio & cœna cum vino calido aſſumat Tartari Vitriol. ℈ſs. vel ʒſs. imprimis, ſi alvus ſit adſtricta, id quod in hoc morbo ſolenne eſt. Cæterum accommodare ſe poterit Medicus palato ægrotantium, ne, ſi eandem ſemper crambem apponamus, incurrat remediorum faſtidium, imprimis cum uno ictu non cadat arbor. Si ſequens vinum medicatum non nauſeat, æger omni mane largum hauſtum bibat.

℞. Rad. Angel.

Zedoar. an. ʒiij.

Herb. Rut.

Salv. an. m. ſs.

Baſil. m. j.

Cort. Citri.

Cinnam. an. ℥j.

Cubeb.

Sinapi an. ʒſs.

Caryoph.

Maceris an. ʒij.

Sal. Tart. ʒſs.

Inciſis & contuſis affunde vini generoſi menſ. 2.

§. 97.

§. 97. Quandoquidem hic morbus aut derepente jugulat ægrotantem, aut in paralysin desinit, operæ me facturum pretium confido, si & hujus morbi medelam jam suscipiamus. Conveniunt itaque omnia illa, quorum in apoplexia mentionem fecimus, digestiva, vomitoria: dein ad diaphor. fixa & volat. progrediendum, sudoreque perpetuo, solo hujus mali domitore, exercendus paralyticus; formulas dabimus.

Cura paralyseos.

℞. Sal. Card. bened.
Vol. succin. an. ℈j.
Camph. gr. v.
Ol. st. Rorism. gutt. ij. M.

Superbibatur potus Theé, vel decoctum lignorum, ut sudor eo melius erumpat. Vel etiam præscribi possunt mixturæ.

℞. Aq. lil. convall. ℥ij.
Vini Malvat. ℥j.
Tinct. Matric. ℥ß.
Spir. C.C. succin. & essentif. ʒij.
Elix. vit. ℥j. M.

Detur cochleatim donec sudor copiose prodeat. Sudore finito, toto die insistendum est volatilibus, ne tubuli per sudores semi aperti concidant, sanguisque sale vol. sub sudore quodammodo orbatus, pristinam contrahat crassitiem.

§. 98. Interea temporis nucha, spin dorsi & pars affecta, quam calidissime inun gatur medicamentis sequent.

℞. Spir. Rorism. ℥ij.
Tinct. Gum. Ammon.
Galb.
Ass. fœtid.
Matric. an. ℥ß.
Elix. vit. ℥j.
Camph. ʒiij.
Ol. Aneth.
Cumini an. ʒj. M.

§. 99. Omnibus tamen his palmam præ ripit Ol. Camphor. ex radice Cinnamomi quo solo diligenter in usum vocato, con summatum Paralyticum curavit Clariss. Overcamp, nec satis in collegio nostro ejus laudes deprædicare potuit. His ita inunctis, emplastra penetrantiora imponen da sunt. Sic

℞. Gum. Ammon.
Bdell.
Ass. fœtid.
Galb.
Sal. vol. Armoniaci.
Camph. an ℥ß.

Fiat cum oleo Juniperi emplastrum, cu si commode applicari poterit, cataplasm super

superimponatur ex aromaticis & spirituosis, formulam supra dedimus. In inunctionibus cave olea viscida vel cocta, vel pinguedines animalium liberius exhibeas: poros enim obstruendo, transpirationem sufflaminant. Cæterum conducunt fomentationes, suffitus, balnea ex herbis antiscorbuticis, aliisque appropriatis. Thermæ Emsenses & Wisbadenses. Tandem etiam confugi poterit ad vesicatoria, quæ, cum constant volatilibus, non possunt non calcaria stimulosque subdere torpentibus humoribus, eosque propellere.

§. 100. Curam convulsionum eandem facimus cum cura epilepsiæ, conveniunt itaque antiscorbutica, anodyna, diaphoretica opiatis mixta.

Cura convulsionum.

§. 101. Halitus fœtidus curatur generali methodo, nec aliam in eo instituendam esse putamus curam. Omni tamen mane os eluatur potu Theé vel seq.

Cura halitus fœtidi.

℞. Elix vit. ʒij.
Spir. Cochlear.
Aq. Cinnam. an. ℥ß.
Cochlear.
Salv. an. ℥iv.

Non inepte faciunt illi, qui aromata varia, Cinnamomum, Cubeb. Caryoph. Ca-

lam. aromat. Cortic. Citri, Winterani, masticant, cum ita salivæ vitia corrigantur, ortoque inde fœtori omne surripiatur pabulum. Commendamus etiam fumum Tabaci, si quis eo delectatur, præprimis illum ex maturioribus foliis, qui præservationis & curationis loco sugi poterit. Ab omni pastu os eluatur, & si quid alimentorum intra dentes hæserit, expurgetur.

Cura Ptyalismi.

§. 102. In Ptyalismo Vomitoria optima sunt, præterquæ hujus mali curam generalem diaphoreticorum & diureticorum usum suademus.

Cura gingivarum cruentarum.

§. 103. In gingivarum cruentatione dentium vacillatione, & carie externa & interna in usum vocanda. Hæc inter commendamus pulveres dentifricios ex terra Japponica, pulv. Coffeé, terra porcellana, &c.

℞. Terr. Jappon. ℥ß.
Rad. Ireos Flor.
C.C. usti an. ʒiij.
Sal. Tart. ℈j.
Ol. ligni Rhod. gutt. iv.
Cinnam. gutt. ij. M.

Parari etiam poterit infusum ex minio cum aceto destillato, quo omni hora os eluatur. Ubi sphacelus imminet.

℞. Tinct. Gum. Laccæ ℨij.
Elix. vit.
Spir. Antisc. an. ℥ß.
Vitriol. ℨß. M.

Vel seq. linimentum commendari potest.

℞. Cret. ℥ij.
Vitriol. Romani.
Camphor. an. ℨj.
Mellis Ros. ℥i.
Balf. Peruv. ℨij.
Elix. vit. q. s. Fiat linimentum.

His medicamentis, & acidis & alcalinis particulis constantibus, illud solum intendimus, ut læsi jam obstructique tubuli rumpantur, jamque semi putrefacta caro cum restitui nequit, tota quanta quanta mortificetur, quo sic ea decidente, sana caro eo liberius crescere possit, hoc est, succus nutritius per apertos ita tubulos meare, nutritionemque ad eos deferre possit. Reliqua quæ curam dentium spectant vide infra de Catharro (§. 148. & seqq.)

Cura palpitationis.

§. 148. In palpitatione cordis cura duplex erit instituenda alia extra paroxysmum, alia in eo. In hoc nobis proponamus serio, ut languenti circulationi subveniamus, causamque motuum convulsivorum tollamus, itaque in ipso paroxysmo cochleatim da seq.

 ℞.

℞. Elix. Antiſcorb. Bontek. ʒß.
Spir. C.C. eſſentif. ʒiij.
Aq. Cinnam. ʒij.
Vini Malvat. ʒj. M.

Vel:

℞. Elix. vit. ℥j.
Sal. vol. oleoſ. ʒij.
Eſſ. Ambr. ʒj.
Tinct. Caſt. ʒiij.
Anod. vol. ʒß. M.

Detur in vino Malvatico.

§. 105. Pulverem ſi mavis, commendamus ſequentem, quia minori impetu ſanguinem propellet.

℞. Corall. rubr. ʒß.
Sal. vol. C.C.
Croci an. gr. iij.
L. Opiat. gr. j. M.

§. 106. Extra paroxyſmum omni die bonum hauſtum ſeq. vini medicati aſſumat.

℞. Cinnam. acut. ʒij.
Caryoph.
Mac. an. ʒß.
Cort. Citr. ℥j.
Sal. Tartar. ʒij.

Affunde Vini generoſi ℔iv.

Cæterum confortantibus inſta, ac curam ſcorbuti generalem tibi commendatam habeas,

beas, in qua Vomitoria pro re nata propinari possunt.

§. 107. In appetitu prostrato, præmissis digestivis, Vomitoria sunt optima, eaque sæpius iteranda. Dein

Cura appetitus prostrati.

℞. Elix. alkal. ℥ß.
vitæ.
Ess. Absynth. compos. an. ℥j.

Vel:

℞. Spir. Antis ℥ij.
Elix. Antisc. ℥j.
Detur cochleatim in vino Rhenano.

§. 108. In appetitu aucto conveniunt præcipitantia, martialia, quæ salium acidorum spicula poris suis recipiunt, & abscondunt.

Cura appetitus aucti.

℞. Ocul. Cancr,
Corall. alb. an. ℈ß.
Limat. mart. gr. xv. M.

§. 109. His aliquot diebus præmissis, ad Vomitoria tutior atque expeditior est via. Dein conveniunt spirituosa & volatilia, ut Spiritus Cochleariæ, Spiritus Antiscorbuticus, sal vol. oleos. Elix. vit. Elix. Antiscorb. &c. Nec est quod timeas abhis appetitum potius augeri, quin certo tibi persuadeas, spiritum vini in his spirituosis existentem, potentissimum esse acidi domi-

torem, ut constat ex præparatione Spiritus nitri dulcis. Tutior etiam cura hac ratione instituta, quam si præcipitantibus rem omnem velis absolvere: docuit enim experientia, gravissima ab iis orta fuisse symptomata, cardialgias, anxietates, tormina, dum acidum in ventriculo tumultuans, cum præcipitantibus illis in tertium aliquod aluminosum abit, quod dein non ita facile expurgatur: nunquam enim putandum est, acidum in corpore nostro esse subactum & enervatum, si præcipitantibus aut terreis saltem est absorptum, nisi volatilibus & spirituosis aut exaltatum, volatilisatum, aut è corpore ejectum fuerit.

§. 110. Interponenda itaque sunt præcipitantibus spirituosa, volatilia, potus theé & decocta varia, ex Radice Contray. China, Absynth. quæ salia acida temperant, diluunt, & per transpirationem aut urinam copiosam eorum multitudinem eliminant.

Cura nauseæ & vomitus.

§. 111. In nausea & vomitu, si visum fuerit, vomitus provocandus; dein ad illum compescendum, si adhuc urgeat.

℞. Elix. vit.
Ess. Absynth. compos. an. ℥j.
Spir. Antiscorb. ℥ij. M.

Detur cochleatim in vino Malvatico, ad-

addantur huic mixturæ aliquot gutt. Tinct. anod. volat. si domari se non patitur contumax malum.

Cura doloris abdominis.

§. 112. In doloribus intestinorum acrimonia acida corrosiva temperanda & convulsiones spasmodicæ, sive sint per consensum, sive per essentiam sistendæ. Proinde

℞. Aq. Menth. ℥iij.
Elix. vit.
Spir. Antiscorb. an. ʒß.
Tinct. Ass. foetid.
Castor. an. ʒij.
Anod. vol. ʒj.
Corall. rubr. ℈ij.
Syr. Cinnam. ℥j. M. D. Cochleat.

§. 113. Omnia antiscorbutica volatilia commendata sibi habeat quisque, opiatis & absorbentibus maritata. Umbilicus inungi poterit sequenti.

℞. Mosch. gr. iij.
Ol. Mac. gutt. VIII.
L. opiat. gr. ij. M.

§. 114. Abdomini applicentur Cataplasmata & emplastra penetrantiora, injiciantur enemata, nunc lenientia, si abdomen interiora versus retrahitur, nunc stimulantia, si alvus adstricta, quæ semper laxa servanda.

℞. Lact. ℥viij.
Ol. Chamom ℥j.
Tinct. anod. vol. gutt. xxx.
Croci ʒij.
Camph. ℈j. M.

§. 115. Vomitoria interdum ſunt maximopere neceſſaria, ita ut absque iis laterem laves: ejiciunt enim humores acido viſcidos in primis viis ſtabulantes, quos longa mora temperantibus & reſolventibus in meliorem ſtatum redigere nequiviſſes. Opiatis tuta fides habenda non eſt, cum humorum acidorum & viſcidorum reſolutionem & attenuationem impediant, qui pertinaciter adeo inteſtinorum parietibus agglutinati hærent, ut movendi potius, quam ſopiendi ſint: Prompte equidem dolores illos convulſivos fugant, aſt non raro poſtliminio malum atrocius affligit, & chronicum redditur: ſunt enim ſalium acidorum cultelli in pituita illa viſcida ita intricati & involuti, ut ab opiatis extricari nullo modo poſſint. Proinde raro ſolitario utplurimum autem reſolventibus maritata, exhibenda ſunt. v. gr. Tart. Vitriol. Antiſcorbuticis, ſpirituoſis carminantibus, ut & Gummatibus, in ſpecie Aſſa fœtida, & Galbano quorum uſus ſatis commendari ne-

nequit, cum egregiam, in pituita vitrea resolvenda, navant opem.

Cura alvi adstricta.

§. 116. Si alvus est adstricta, causarum remotarum habenda est ratio. Sic ubi cibis viscidis & solidioribus se invitant largiter, omnino illi sunt interdicendi, & potus liberalior concedendus, v. gr. Theé vel Coffeé, cum sale quodam digestivo, aut si fumum Tabaci non respuat, interponat eum præprimis horis matutinis. Quod si nec hæc intentioni nostræ satisfaciant, Clysma injiciatur. Elix. alkal. in maj. paulo dosi, quam quidem moris est, salutarem spondet opem. Omni etiam die seq. pill. assumat. X. vel XX.

℞. Gum. Ammon. ʒj.
Ass foetid. ʒiij.
Res. Quajac. ʒij.
Tart. Vitriol. ℈iv.

Fiant cum Elix. propr. ex ℈j. pill. x. quæ visciditates resolvunt, alvumq; stimulant, imo tutius, quam quidem ab omnibus purgantibus fieri solet, absque virium jactura & tridua vel quatridua constipatione, quam utplurimum post se relinquere solent, ut supra (§. 113.) innuimus. Quod si alvus est adstricta ex spasmodica quadam intestino-

norum convulsione, omnia illa conferunt, quæ in doloribus intestinorum (§. paulo præcedentibus laudavimus.)

Cura diarrhaa & dysenteria.

§. 117. In diarrhæa & dysenteria, aliisque alvi profluvii speciebus, digestionis primarum viarum habenda est ratio. Si ventriculus simul laborat, stomachica commendamus ut Elix. vitæ, antiscorb. Ess. Absint. comp. &c. ac pro re nata, Vomitoria, Sudorifera, Præcipitantia, Opiata, ut & Cataplasmata calidissime applicanda; sed de his supra jam egimus.

Cura dolorum fixorum & vagorum.

§. 118. Si dolores atrocius affligant, nunc fixi, nunc vagi, diæta sudorifera maxime confert; hinc potus Theé nobile est remedium, cui interponi potest Elix. vitæ, Antiscorb. Tinctura matricalis, aut vinum generosum cum sale vol. oleoso, quorum usus per totum diem continuandus. Præcipitantibus quoque & volatilibus omni mane se ad sudorem levem componat, dein potu Theé totus madeat, nihilque omittat, quod transpirationem promovere possit: in ea enim totius curationis cardo vertitur, ut humores hinc inde stagnantes acidi propellantur & è corpore ejiciantur.

§. 119. In prandio commendamus sal

vo-

volat. oleosum in vino generoso. Volatilibus istis interdum commiscenda sunt opiata, præprimis in paroxysmo. Sic

℞. Sal. vol. oleos. ℥j.
Tinct. matric. ℥ß.
Anod. vol. ʒij. M.

§. 120. Externe applicentur spirituosa, cataplasmata aromatica & penetrantia, quorum jam aliquoties formulas dedimus. Cæterum totus esto in curando morbo generali, quo profligato, ejus productum morbosum sponte cessabit; quod efficies medicamentis supra præscriptis, quorum tum uberrimam segetem corrasimus.

Cura macularum.

§. 121. Macularum curam suscipimus medicamentis internis & externis, subtilissimis foetis particulis, quæ fibras musculares concutiendo & agitando propellere apta nata sunt stagnantem vel repentem sanguinem.

℞. Spir. Vin. Camph. ℥iv.
Cochlear. ℥j.
Salis armon. ℥ß.
Tinct. Ass. foetid. ʒiij. M.

§. 122.

§. 122. Non improbo aſſiduas membrorum frictiones, quibus major motus & agitatio inducitur ſtagnanti ſanguini, commendamus etiam ſequens.

℞. Ceruſſ. ℥iß.
Ol. ſuccini ℥ß.
Spir. Antiſcorb.
Tinct. Galb. an. ℥j. M. F. liniment.

§. 123. Interna medicamenta ſunt illa, quæ in cura generali commendavimus, imprimis ſudor inſtituendus, quo ſic ſanguis liberius promptiusque circumactus, ſtagnantem hunc ſanguinem, una cum maculis ſecum aufferat. Silentio prætermitto potum Theé aliaque antiſcorbutica, tum volatilia, tum fixa, quæ hic repetere eſſet actum agere.

Cura pruritus.

§. 124. Curatur pruritus itidem tum internis, tum externis. Externa ejusmodi ſint, quæ obſtructos tubulos expedire, particulasque, acidas, ſalinas in motum abripiendo, viſcidas attenuando, inſenſibilem tranſpirationem augere poſſint. Solus ſpiritus vini camphoratus hic eſto inſtar omnium. Tinctura ex Nicotiana cum

Spir.

Spir. Vini parata, magni ufus eft. Lavari etiam membra poffunt folutione calida faponis nigri, cinerum clavellatorum & falis armoniaci ab unguentis vifcidis confulto abftinemus: periculum enim eft, ne tubulos obftruendo, infenfibilem tranfpirationem magis impediant, cum particulæ jam, fugam vel difceffum meditantes, ulterius propelli & in aëra projici debeant: id quod non vifcida illa unguenta, fed fpirituofa levamenta ex voto præftabunt.

§. 125. Hic pruritus magis urget fævitque, ubi incalefcunt homines; tum vero extemplo hæc medicamenta adhiberi oportet, quo fic motæ particulæ promoveri, penitusque tubulis fuis excuti, & in auram propelli queant. De internis medicamentis non eft quod fufius agam: locum enim hic habent omnia antifcorbutica & maxime diaphoretica, quæ jam fupra fubminiftravimus.

Cura puftularum & ulcerum.

§. 126. Curatio puftularum & ulcerum abfolvitur fimiliter medicamentis internis & externis, de quibus fatis hactenus egimus: nimis enim longum foret, fufius hic de iis agere. Si cui tamen volupe fuerit, exactam horum nofcere curam, illi commendamus Celeberrimi Domini Over-

Overcamp. Neues Gebäu der Chirurgie.

Cura tabis. §. 127. Tabem scorbuticorum curaturus si viscera salva esse constat, digestivis præmissis, nullus dubitet propinare Vomitoria, dein volatilium, antiscorbuticorum, oleosorum, balsamicorum usum continuet, quibus sanguinis suffocatio ejusque intemperies acida, rancida & corrosiva emendari possit. Verbo, generalem scorbuti curam sibi commendatam habeat: Specialem magis vide in quarto Morbo Cardinale de Phthisi.

Cura sudoris nocturni. §. 128. Sudores nocturnos curabimus digestivis, stomachicis, quæ fermentationem in ventriculo corrigunt: nam ut plurimum ortum trahunt ex vitiosa alimentorum digestione; hinc denegata eorum in sanguine exaltatione & debita comminutione. Frugali itaque prandio cœnaque, si repletiones in causa sint, contentus sit quisque: exercitia crebriora instituat, modica tamen, nec ad fatigationem. Dein salia volatilia oleosa frequentissime in usum vocentur. Diaphoretica quoque hic magnæ spei sunt remedia: minus enim transpirant, etiamsi sudoribus istiusmodi copiosissimis diffluant: nec propter sudo-

dorem proliciendum diaphoretica hic præſcribuntur, ſed iisdem obſtructiones reſerare, ſuffocatam humorum efferveſcentiam & circulationem augere intendimus, alias ſufficere poſſet ſudor ſolo calore ſtragulorum prolectus.

§. 129. Præter antiſcorbutica & diaphoretica ſudores illos nocturnos cohibent etiam opiata, dum fibrillarum ſubcutanearum vellicationem tollunt, acrimoniamque ſudoris temperant. Sed cautius cum iis mercandum eſſe putamus, cum præter acrimoniam, hic etiam viſciditates peccent, quas opiata nullatenus reſolvunt, adeoque palliative tantum curant. Poterunt tamen volatilibus & ſpirituoſis copulari.

℞. Sal. vol. oleoſ. ʒiij.
Elix. vit. ℥ß.
Tinct. Croci.
Caſtor.
Anod. vol. an. ʒij. M.

Detur ad LX. Gutt. ante introitum lecti.

§. 130. Sic tandem curationis ſcorbuti telam perteximus remediis ex Fonte Pharmaceutico petitis. Nunc quid ſalutis afferre queat Fons Diæteticus, reſtat ad- *Diæta.*

huc inquirere. In diæta in id incumbas, ut alimenta, quoad ejus fieri potest, sint medicamentosa. Acetaria ex nasturtio, cochlearia piperidite cum vino Rhenano parata, laudari merentur, rasura raphani rusticani, nasturtium aquaticum, cochlearia, ruta, comæ Absinthii cum pane butyro illito commode assumuntur. Juscula ex raphano rusticano magnificenda sunt. Sinapi semper ornet mensam. Cubebæ, Cardamomum, Cinnamomum, Caryophill. Cortices Citri & Aurantiorum, diligenter masticentur. Hoc facere dicuntur Orientales: neque proinde mirum, quod his furiis non ita agitentur, degantque Basilice & Athletice. Quod si quis ad eandem valetudinem aspiret, barbarorum, non barbarum morem imitari ne dedignetur.

§. 131. Cæterum ea omnia scrupulose fugito, quibus causam mali supra imputavimus. Quicquid corruptum, rancidum est, situm contraxit, aut fermentationem suarum particularum absolvit, à mensa relegato: & si his causam suam debeat scorbutus, solæ herbæ recentes, copioso sale volatili turgidæ, curam promittunt: id quod testantur nautæ, qui omnibus remediis irritis, his tamen curantur: sic enim ut

ut ſupra innuimus, ſuffocata humorum fermentatio reſtituitur, dum ſanguis chylo recenti ac vegetabili renovatur, qui promte fermentationem ſuſcipit, eamque diutius perennare poteſt, ac ille, qui elaboratur ex corruptis, rancidis, aliisque ſale volatili effœtis. Potus ſit defœcatus quidem, nullatenus autem acidus, cui immittantur aromatica & antiſcorbutica, quibus cum fermentet.

§. 132 Tandem hic filum abrumperem, niſi notabilis illa de Cochlearia, obſervatio nobis in mentem veniret, cujus ut & cæterarum Antiſcorbuticarum herbarum fere omnium, in locis ſeptentrionalibus uberior eſt proventus, quam in regionibus auſtralibus, ubi earum ne minima quidem apparent veſtigia. Imo quod magis mirabere, hæc cochlearia eo acrior, foliisque erit amplioribus, quo terra, quæ ipſam fert, polo eſt vicinior; ſic nullibi præſtantior eſt, quam in ipſa Gronlandia, hoc primum: ſecundum mirari ſubit, quæ hujus herbæ ferax eſt, eam aromata ferre negare, ſolumque hæc ibi provenire, ubi Cochlearia nulla habetur. Ad primam quæſtionem ſic reſpondemus: Antiſcorbutica conſtant multo ſale volatili, particulis ra-

mosis maximam partem soluto, hic à modico calore evehitur, & in plantulæ tubulos impellitur, à nimio nimis meteorisatus & subtilisatus, in aërem adigitur. Hinc est, quod in locis australibus, ubi materia primi elementi copiosius influit, motusque robore pollet majori, sal volatilis tubulis suis excussus, qua data porta volet, tenuesque facessat in auras; in locis septentrionalibus incumbente graviter aëris Athmosphæra, globulisque prementibus hæreat, moram nectat, inque tubulis ita pedem figat & remaneat. Alteram quæstionis partem ita enodamus: Aromata constant sale volat. oleoso, hæc proveniunt in locis calidis, quod particulæ ramosæ ab ingenti illa & incredibili materiæ subtilis impulsione rarefactæ & in tubulos plantæ impactæ, captivam teneant, & quasi ligent salia volatilia, eorum fugam antevertant, sicque cum ipsis combinatæ, referant sal. volat. oleosum. Hæc crescere non possunt in locis septentrionalibus, quod tantus ibi calor non sit, vel mater. subtil. motus tam vehemens, efficaxque non existat, ut particulas ramosas exaltare & in plantarum tubulos elevare queat. Non possumus hac de re amplius

plius dubitare, ubi in memoriam nobis revocaverimus, cochleariam brevi castrari & omnibus viribus spoliari, cum contra aromata ad multos annos integra serventur, nec ullam aut exiguam faciant virium suarum jacturam, scil. cochleariæ sal volatile sui juris existens, mora impatiens in fugam abit: Sal vero volatile in aromatibus, ramosis oleorum particulis detentum, subsistit, diuturnamque moram nectit.





DE CACHEXIA TERTIO MORBO CARDINALI.

§. 1.

PRimaria hactenus febris & ſcorbuti ſymptomata perluſtravimus & ad vivum reſecuimus: Ordinis nunc ratio poſtulat, ut & illa, quæ ex tertio morbo Cardinali, quem Cachexiæ nomine indigitamus, oriuntur, examinare pergamus. Per Cachexiam intelligo ſanguinem craſſum, viſcidum, tenacem, acidum auſterum & immaturis particulis fœtum, unde duplex illa erit viſcida & acida. In illa prædominium obtinent particulæ viſcidæ & glutinoſæ; in hac, particulæ acidæ, quæ immenſam, fandoque inexplicabilem figurarum varietatem ſuſcipere & induere poſſunt, à qui-

quibus particulæ volatiles ligantur, cum iisdemque uniuntur, quo fit ut ignavius & segnius per vasa sua feratur sanguis; & prout in figura & magnitudine, tum in copia variant particulæ acidæ & viscidæ prout nunc has, nunc illas potius particulas volatiles, nunc hic, nunc alibi figunt, alia atque alia symptomata inde gigni necesse est.

§. 2. Differunt inter se cachexia viscida & acida, gradu tantummodo, quod in hac levior, in illa contumacior peccet sanguinis crassities: Sunt tamen hæc duo Cachexiæ genera ita inter se copulata, ut unum absq; alio vix conspiciatur, quamvis dentur nonnulli morbi cachectici, qui hujus potius, quam illius faciem præ seferunt, ut ex infra dicendis clarius apparebit. Differt cachexia à scorbuto, quod in illa sanguis, omnesq; ab eo dependentes humores sint viscosiores, in hoc autem sint suffocati, pejusque mixti.

§. 3. Causa itaque cachexiæ proxima, est sanguis particulis acidis, viscidis, crudis, indigestis, minusque exaltatis obrutus; unde varia in œconomia nostra prosiliunt schemata. Quod, ut clarius appareat, nosse interest, perfectissimam machinæ nostræ sanitatem absolvi celerrima expeditissimaque sanguinis, per majora minoraque vasa, circulatione. Orditur illa à dextro cordis

ventriculo, in quem delatus ſanguis, contracto corde impellitur in pulmones, per quorum tubulos dum meat, ab aëris ſale volatili, ejusque vi elaſtica, rarefit, exactius ſecundum omnes particulas miſcetur, purpuramque ſuam induit: tum vero in ſiniſtrum ventriculum cordis propulſus, mox ex eodem in arteriæ magnæ ramum deſcendentem verſus inferiores, aſcendentes verſus ſuperiores corporis partes præceps ruit, donec circulare iter emenſus, ab orificiis venarum exceptus, ad cor remeet. Hinc notandum arterias, in omnibus viſceribus in indefinitæ figuræ & magnitudinis tubulorum abire ramificationes, quæ ita diſpoſitæ ſunt, ut non niſi certæ figuræ & magnitudinis particulas transmittant. Ad has itaque appulſus ſanguis, nunc has, nunc illas particulas à ſe dimittit, in ventriculo ſpirituoſas, volatiles, acidas, lympham gaſtricam conſtituentes. In hepate ſalinas, oleoſas, volatiles, bilem conſtituentes; in pancreate lympham, ſalinis, aquoſis, acidis fœtam; in renibus ſerum, terreſtribus, oleoſis, ſalinis, volatilibus turgidum; in glandulis aliisque lympham, nunc ſalſam, nunc inſipidam; in cerebro ſuccum nervoſum; denique particulas quasdam flexiles, gummoſas & ramoſas ad augmentationem corporis noſtri, & conſervationem.

§. 4.

§. 4. Hic ſanguinis omniumque ab eo dependentium ſuccorum motus, ſi ſit interruptus, ſi liber, ſi expeditus, belle valemus, nullis corpus noſtrum defœdatur & labefactatur obſtructionibus. Verum ſi craſſiores & irregulares ſalium particulæ, aliæque viſcoſæ, tenaces, terreſtres, diverſimode inter ſe implicatæ, prædominium in ſanguine obtinent, tardius ejus circuitus abſolvitur, qui teſtudineo paſſu prorepit, obſtructiones parit, & fermenta acriora, viſcidiora ac inertia hinc inde deponit, quæ mille malorum varietatem producunt.

§. 5. Hanc ſanguini labem affricant, ſex res non naturales male adminiſtratæ. Primo itaque eſt aër, qui pro diverſa ſua conſtitutione, machinam noſtram non aliter ac horologia diſponit. Si enim ſudum eſt, materia ſubtilis per poros aëris rapidiſſime trajicit, ſalia volatilia, motu celerrimo abripit, & in corpus noſtrum undiquaque impetum faciens. Maſſam ſanguineam poroſam reddit, valideque ad motum concitat; hinc hilares ſumus, tripudioque cantu, jocis, ſalibusque optimam corporis noſtri conſtitutionem teſtamur. Ubi vero in aëre pluvioſo & nebuloſo verſamur, fixo in terram vultu triſtes ſumus, & moroſi, in-

gentemque percipimus laſſitudinem, quod tum tardius & ignavius ſanguis in circulo volvatur ſuo: abeuntibus enim particulis per inſenſibilem tranſpirationem volatilibus, craſſiores ſuccedunt, relictaque loca occupant, quæ poros conſtipando, ſalia volatilia involvendo, impediunt ſanguinis attenuationem, unde ille magis comprimitur, viſcidam & glutinoſam maſſam conſtituit, quare malum hoc in plagis ſeptentrionalibus, ubi craſſiori veſcuntur mortales aëre, magis graſſari ſolet, quam auſtralibus, ubi ſubtilior regnat aër.

§. 6. Quid cibus potusque ad hoc malum conferat, loquitur praxis quotidiana. Qui viſcidis cibis largiter ſe invitant, parce autem bibunt, funeſtam hanc ſanguini affricant craſſitiem. Tantis enim viſciditatibus reſolvendis fermentum ventriculi par non eſt, imprimis potu deſtitutum. Potus enim ex cibis Tincturam quaſi quandam, ut ita loquar, extrahit, hoc eſt, ſubtiles, ſalinas, ramoſas, quæ ſuccum illum lacteum vel chyloſum conſtituunt. Deficiente ergo potu hæret chylus, abitque in craſſam viſcidamque maſſam.

§. 7. Nec illi ſolum, qui parce bibunt, peccant, ſed & qui plenis buccis copioſiſſime

me in prandio, & post illud, potum ingurgitant: hac namque ratione alimenta ex ventriculo expelluntur, antequam eorum sufficiens mutatio peracta fuerit; hæret ubique chylus crudus, indigestus, cujus vitium deinceps non ita facile corrigitur.

§. 8. Qui vinum Rhenanum, aliaque vina austera, ejusdemque spiritum, in deliciis habent, totoque die mero madent, tandem aliquando gravissimas Cachexiæ luunt pœnas: Etsi enim liquores isti videantur sanguinis circulationem promovere, humores viscidos crassosque attenuare & resolvere, id quod temporarium saltem est, postea tamen circulationem impediunt, ac insensilem particularum effervescentiam imminuunt. Sic qui strenue Baccho litant, ad negotia sua peragenda inhabiles sunt, tremunt artus, torpet ingenium, nisi mero liberalius se iterum invitaverint, adeo, ut omni die, omni hora id facere teneantur, quo torpentem spirituum motum, sanguinisque circulationem, ad tempus saltem, intendant; imo sane ad tempus. Quamprimum enim particulæ spirituosæ, in mero contentæ, tenues evanuerunt in auras, quæ torpenti sanguini calcaria, stimulosque addiderunt, crassiores, acidiores remanent,

quæ

quæ funestam iterum sanguini inferunt crassitiem, lentoremque, novosque iterum opus habent stimulos addere torpenti sanguinis circulationi. Sed quid inde tandem exsurgit, nisi fatalis omnium humorum incrassatio? Qui morosi sunt, ita, ut vix eo adduci possint, aliorum interrogationes responsione dignentur, epoto mero aliam præ se ferunt faciem, nunc in jubila, plaususque erumpunt, nunc soli sunt, qui jocis, cantu aliorum compotantium amicas confabulationes interrumpunt. Alii, qui veneri jam dicam scripserunt, toti ea deflagrant, alius alii inter pocula litat passioni. Ex his conficitur, liquorum inebriantium particulas spirituosas sanguinem in motum quidem concitare, cerebroque copiam spirituum suppeditare. Verum, si paulo altius rem inspiciamus, istiusmodi liquores inebriantes præter particulas spirituosas, quibus sunt foeti sanguinemque resolvunt, alias etiam in recessu habent, quibus sanguinis humorumque incrassatio in acceptis ferenda est. Illæ enim, sanguinem exagitando, crassiores in motum abripiunt & in angustissimos canaliculos impellunt, unde nec pedem promovere, nec removere possunt, dum interim particulæ spirituosæ,

per-

peracta sua scena, per insensibilem transpirationem evaporant, aliasque adhuc ex sanguine volatiles secum aufferunt, relictis crassioribus & acidioribus, quæ tum personam suam in sanguine agere incipiunt, ac mille malorum faces accendunt.

§. 9. Quibus in more positum est sæpius de die cibum vel esculenta quævis assumere, non possunt non viscidum & acidum inde asservare chylum: cum enim non nisi certam quandam ciborum quantitatem fermentum dissolvere possit, priori nondum in chylum mutato, si novus supervenit, activitas fermenti imminuitur, sicque nec prior nec posterior cibus sufficienter attenuari, incidi, multo minus in laudabile beneque constitutum lac verti potest: uterque enim in visciditates, vel cruditates abit, fœcundas morborum cachecticorum genetrices.

§. 10. Omnibus fere mortalibus persuasum est, panem & butyrum optime nutrire, quod uti nec penitus negare, ita nec absolute asserere audemus. Nutrit & bene cedit corpori nostro panis probe pistus, levis, porosus; butyrum conducit recens & insulsum, tum quod caput rei est, utrumq; laudem meretur parce, nec toto die, qui

mos

mos jam pridem invaluit ingestum: nec enim miserum solum, sed & pernitiosum est, non nisi pane vesci. Ratum & inconcussum manebit in omne ævum, ut omnium rerum, sic panis repletionem pessimam esse. Nihil namque aliud, inde quam viscidum, quam glutinosum prodibit, mille malorum certissimique interitus funesta genetrix. Ecqua alia ratio est, quod fœminæ, pueri, mistæque puellæ tot morbis mulctantur? Nulli dubitamus, quin, si ab ingluvie ista horaria, & noxio illo ciborum delectu, quem præ viris semper instituunt, scrupulose abstinuissent, magna eorum pars, quæ nunc stygiis innatat undis locaque inhabitat opaca, vitalem auram adhuc traheret. Clamat namque praxis, pueros voraces morborum insultibus præ aliis expositos esse, imprimis queis jentaculum familiare est ad prandium usque. Fœminæ hic quoque vapulant, quæ toto fere vitæ suæ studio propostere gustui studentes, nihil præter fercula sua, quæ in deliciis habent, vorant, aliaque nec attingunt, aut sordida ductæ avaritia, sumptibus parcunt, quibus saniora parari possunt. Sibi igitur, & præpostere huic victus rationi imputet puer & fœmina, quod pallore, quod macie notabiles fiant, quod è ventriculo

sem-

ſemper male habeant, anxietatibus, flatibus, conſtipatione alvi, aſthmate divexentur; verbo, cum cachexia, dum vita manet, colluctare neceſſe habeant.

§. 11. Fructus horteos huic malo obſtetricare, nemo inficiabit, utut grata ſua dulcedine ſe nobis commendare ſoleant; fallacem tamen eam eſſe & ſpecioſam, funeſti loquuntur effectus: corroſivum enim ſub harum particularum involucro latitat acidum, quod imprudentes horum obſoniorum amatores, diarrhæis, dyſenteriis, aliisque morbis ſub autumno mulctare ſolet. Saccharum cachexiam gignere, fungum oportet eſſe, qui dubitat. Incraſſare ſaccharum ſuccos noſtros, docet ejus analyſis chymica: videmus enim toto die in praxi, infantes, quibus ſaccharata indulgent parentes, abdominis duritiem, tormina & lumbricos incurrere, dum chylus ope ſacchari in viſcidiſſimū ſuccum elaboratur, & diverſis ramulis ita inter ſe connectitur, ut illi à materia ſubtili removeri, neque ſeparari à ſe invicem poſſint.

Vita ſedentaria.

§. 12. Qui vitam ſedentariam ducunt, huic malo patent: ſegnius enim, quam par eſt, in circulum rapitur ſanguis, particulæ volatiles non ſatis volatiliſantur & evolvuntur;

tur; hinc chylus, qui motu & frequenti circulatione comminui, diffringi, & in sanguinem verti oportebat, crudus remanet & indigestus: documento nobis sunt illi, qui laute & opipare vivunt, otio autem torpent, quod innumeris morborum insultibus divexentur, & continuam Medici opem efflagitent, nisi ultimam experiri velint necessitatem. Sed ubi fortunæ facies mutata fuerat, & sustentationem vitæ manuum operibus acquirere tenebantur, sani, & à morbis immunes degebant.

Nimius motus.

§. 13. Atro quoque notandus est carbone nimius motus: ille enim nimium exagitat sanguinem, eumq; particulis volatilibus depauperat, & effœtum reddit; adde, hoc hominum genus, quibus necessitas durum telum, labores assiduos injunxit, præmaturam senectam quæ ipsissima est cachexia, sibi accelerare, imo fata anticipare, quid quod asthmata, musculorum tremorem, ac extremam maciem sibi accersant.

Vigiliæ.

§. 14. Ut nimius motus, ita vigiliæ quoque funestam sanguini inserunt crassitiem: sunt enim illæ continui labores, quibus corpus defatigatur, cum undiquaque succus nervosus per totum corpus indesinenter ruit, & maxima sui parte consumitur;

tur; unde ſegnius ſanguis propellitur, & humores viſcidiores & acriores redduntur, qui, mediante ſomno temperari & attenuari debebant.

Suppreſſa excretiones.

§. 15. Si quod excerni debebat, retinetur, Cachexia oritur; quanquam ſi recte rem examinemus, ſuppreſſæ excretiones, non ſint in cauſa, cum ſint ſaltem productum morboſum, ſed ipſa ſanguinis craſſities: ubi enim ſanguis craſſis, acidis, viſcidisque particulis refertus eſt, tardius ille procedit, & ſegnius effervescit; hinc in fœmineo ſexu ſupprimuntur menſes, quorum ſuppreſſio non ipſa cauſa eſt cachexiæ, ſed ſanguis viſcidus lentusque.

Excretiones largiores.

§. 16. Si quod retineri debebat excernitur, cachexiam habet pediſſequam. Sic ubi crebriores inſtituuntur purgationes, phlebotomiæ, aut ſi ſanguis alio quocunq; modo per vaſa rupta effluit copioſe, ſi ſudores ſunt nimii; ſi ſemen prodigioſe ejaculatur; ſi menſes largius fluunt; aliæque conſuetæ & inſuetæ excretiones mediocritatis terminos excedunt, ad unum omnes ingentem & irreparabilem faciunt particularum volatilium jacturam, quibus ſanguis defraudatus, circulare ſuum iter emetiri ineptus redditur: deſtituitur namque ille ſuis

rotatoribus & actoribus, quorum motum viscosiores veloci fuga insequi debebant, hinc torpet eorum motus intestinus, sanguis minus attenuatur, chylificatio ac sanguificatio læduntur, paucis ut dicam, omnes humores viscosiores evadunt.

Passiones animi

§. 17. Passiones animi fortiores hic quoque sub censum veniunt, imprimis ira, brevis ille furor, quod tum succus nervosus tumultuario motu abreptus, non secundum lineam rectam procul omni offendiculo in nervos excurrat, sed hinc inde impingat, eosque concutiat & convellat; quo fit, ut sanguis è corde expelli nescius, justo diutius moretur, nec in arterias alacriter, uti par erat, transeat; unde nunc intermittit pro tempore pulsus, nunc iterum concitatus est; quare nunc pallor nunc rubor in ore; nunc quod omnes humores tardius circulant, minor est transpiratio, & cum lympha prompte per vasa sua ad cor redire prohibetur, sudor erumpit, isque frigidus. In timore, tristitia, sanguis tardius quoque incedit: parcius enim irruit succus nervosus in nervos musculosque, cum maxima ex parte impendatur ad objectum aliquod, in quod fertur animus, vivacius repræsentandum; hinc languent

omnia

omnia fermenta, particulæ chylosæ minus digeruntur in sanguine, quæ motu & circulatione comminui, discerpi & exaltari debebant.

Dispositio hæreditaria.

§. 18. Non infima quoque Cachexiæ causa est dispositio hæreditaria, quæ quærenda in primordiis vitæ nostræ, ab ipso ovo; sic lippus, lippum; Podagricus, podagricum; Phthisicus, phthisicum; Calculosus, calculosum generat: qualis enim figura & magnitudo, situs & ordo particularum in ovo existentium, & à semine masculino modificatarum, talis imposterum manet in futuro homine: Misera proinde est infantum illorum conditio, qui tam atroces pœnas non raro parentum suorum temeritatis dare coguntur, accedit perversa infantum, dum adhuc in utero vel extra eum sunt constituti, nutritio: temere namque sibi persuasum habent mulierculæ, omnia sibi tunc licere, Medici consilia saluberrima susque deque habent, ac alto ea supercilio despiciunt. malunt namque sensibus suis corruptis, quam dicterio sanæ rationis auscultare, in quo confirmantur primo ab obstetricum & amicarum experientia nasuta, quam illæ sibi præsumunt, secundo dum & bene exinde se habent, nec

pressο, tanto facinori pede digna insequitur pœna præjudicium illud robur accipit; verum, quod differtur, non auffertur, tandem tamen morborum gravitate ac diuturnitate mulctantur; & quamvis sæpe ipsis non noceat perversa illa diæta, infantibus tamen est exitiosa; unde infiniti Cachexiæ surculi progerminant; adeo ut verum illud sit, quod matres, dum infantes suos lactant mactent. Vide de his Beat. Ettmülleri Valetudinarium Infantile.

Irrationalis febres curandi methodus Cachexiam producit.

§. 19. Tandem illi Cachexiam incidunt, qui irrationali methodo à febribus curantur, utplurimum autem debetur Julapiis, Syrupis, Conservis, frigidis. V. Sectioni, purgantibus præcipitantibus, aliisque liberali manu porrectis; hæc omnia, ut facile est conjicere, diversimode sanguinem incrassant, ejusque motum sufflaminant; istiusmodi homines horridi sunt aspectu; unde nunc ex ventriculo male se habent, pallor in ore sedet, macies in corpore toto, nunc hydrope, nunc phthisi affliguntur; maluissent equidem priori morbo succumbere, quam illum cum deteriore permutare, cum securissimi evadere potuissent, modo rationali methodo cura fuisset instituta.

§. 20.

§. 20. Evicimus jam Cachexiam nihil aliud esse, quam sanguinem crassum, viscidum, tenacem, acidum, austerum, quem ex variis causis deduximus, quarum præter modo recensitas, ingentem adhuc phalangem in scenam producere possemus; sed tempus est, ut inquiramus in morbos, quorum fœcunda semina de se spargit tertius hic morborum fons, ac uberrimam eorum faciemus messem.

§. 21. Inter morbos cachecticos sunt nonnulli plane cum scorbuto communes, quare cum eandem fere agnoscant causam generalem, sanguinem scilicet viscidum & acidum, nisi quod in scorbuto sanguis sit suffocatus, brevitatis ergo speciatim hic de iis agere supersedemus, cum illi facili marte ad fontem suum generalem referri poterunt; quales sunt dolor capitis gravativus, perterebrans & pulsatorius, affectus soporosi, apoplexia, paralysis aliique, de quibus jam supra egimus. Proinde hic illos saltem perstringere animus est, qui strictiori sensu ad cachexiam referri possunt. Primo itaque est melancholia, cui associari solet delirium, ac vocatur tunc delirium melancholicum.

Melancholia & delirium.

Usu hactenus venit in omnibus deliriis mentem accusare; non tamen veremur inveteratæ huic opinioni nuntium remittere, cum à modernis Philosophis echo hæc jam satis increbuit, nihil æquabilius inter homines est distributum quam bona mens: finge alium alio ingenio, judicio longe esse superiorem, infantem ab adultiori omnibus mentis dotibus superari, illud omne tamen non menti, sed corpori in acceptis referendum putamus, cum eandem cum infantibus mentem adulti habemus; quod vero altius sapiamus, organorum dispositioni; per quæ objecta menti deferuntur, adscribimus. Tamdiu itaque mens sana est in corpore sano, quam diu tubuli, per quos succus nervosus trajiciens, objectorum externorum menti defert impressiones, integri sunt, satisque flexiles, ipse denique succus nervosus satis subtilis & fluidus, ut alacriter mentem officii sui commonere possit. Ubi vero tubuli quidam rupti sunt, non potest non fieri, quin vestigia omnia, notæque cerebro ingressæ confundantur, succusque nervosus languidos, confusos & incertos motus menti offe-

offerat, quæ ita turbata, quo ſe vertat, neſcit, & errore abrepta, putat interdum extra ſe fieri, quod tamen in ipſo cerebro contingit. In quo omnis delirii ratio formalis conſiſtit. Eſt etiam ubi ſuccus nervoſus craſſior exiſtens, verſus meditullium cerebri non ſatis premitur; hinc menti obſcuro motu oblato, confuſe illum percipit, & perverſum de eo format judicium. Difficulter ut dicam obtineri poteſt, ut tubulorum nerveorum tenerrima textura ſemper ſalva ſervetur & incolumis, dein ſuccus nerveus ſua ſemper gaudeat ſubtilitate, quid mirer itaque, neminem fere mortalium omnibus horis ſapere, ſed aliquando ineptire, deſipimus infantes, deſipimus ſenes, ſapere quidem nobis videmur in media ætate conſtituti, aſt quantillum, unde ludibrium nobis debent, qui ſapientiam cæteris bonis omnibus prætulerunt. Convellantur namque, concutiantur, rumpantur tenerrimi cerebri tubuli, fiat ſuccus nervoſus craſſior, actum erit de ſapientia noſtra. Quicquid tamen horum ſit, extra omnem dubitationis aleam ponimus, quo rectius valemus, & quo firmiora, flexibiliora ac

perfectiora ſunt organa corporis noſtri, eo quoque mentis functiones felicius & ex voto peragi.

§. 22. Diſtingui poteſt delirium in vagum & fixum. Illic in plериſque actionibus aberrant à recta ratione, deſultorie citra omnem cauſam, nunc in hæc nunc in illa delati vana & delira quævis effutiunt. Hic circa unum & determinatum verſantur objectum, à quo nullo modo avelli ſe patiuntur, quia ſuccus nervoſus craſſior motum quem cœpit, diu continuat, nec ab aliis objectis turbari de ſtatu ſuo ſe patitur, & ſemel ab objecto quodam modificatus, pertinaciter hanc ideam menti ingerit, adeo ut nolit, velit, cogitare debeat mens miſera corporis mancipium. Contingere tamen poteſt ut alterum alterum inſequatur, & objectum aliquod ſolum mentem occupet, quod olim per intervalla eandem ſolummodo laceſſebat sic quod olim vagum erat in fixum degenerat delirium.

§. 23. Ut melancholicum cognoſcas, ſcito illos cogitabundos ſemper incedere, & ad aliorum quæſtiones aut ſermones raro animadvertere, dum ſuccus nerveus craſſus & viſcidus, unam eandem-

qu

que ideam repræsentat menti, nec facile à vestigio, cui incumbit averti potest; hinc omnibus aliis rebus posthabitis, solius hujus objecti consideratione delectatur mens, adeo ut istiusmodi homines ægrius ferant aut stomachentur, ubi quis studio ab his meditationibus eos avertere satagit. Contra beatos se reputant, ubi speculationibus suis indulgenti absolutissima fruuntur potestate; illos omnia metuere, semper mœrori deditos esse citra manifestam causam, solitudinem amare, nunc damnare, Aliorum amicitiam respuere, diffidere omnibus, morosos esse, sæpiusque tædio vitæ affici, in lachrymas temere prorumpere, suspiria ducere, nunc in jubila plaususque effundi quod forte fortuna sal aliquod immisceatur massæ sanguineæ, quod effervescendo cum acido motum excitat vehementiorem, aut quod in gratum meditando objectum incidant, unde pro tempore lætentur. Cum vero hæc effervescentia cito deflagrat aut ab objecto illo sibi grato removeantur, hanc intempestivam lætitiam acerbior & pertinacior subsequitur melancholia; aliquando decipi se & insidias sibi strui prætendere, seque omnium mortalium abjectissimos & miserrimos re-

putare. Hæc fere ſunt generalia, quis vero ſpecialia omnia recenſebit? Hic urinam reddere ſibi metuit, ne diluvio totum univerſum inundetur, hic granum hordei ſe eſſe putat, hinc à gallinis ſibi metuit, ne ab illis devoretur. Quam graviter vero ſæpiſſime de rebus nauci deliberent, e. gr. de pileo vel chiroteca deponenda in vulgus notum eſt. Eo usque quidam Melancholici ineptiarum procedunt, ut putent ſe videre diabolum, ſpectra, & neſcio quid non monſtri horrendi: Ratio eſt, quod ſuccus nervoſus ſegnius & confuſe in veſtigia olim à diabolo impreſſa incidat, cum æger eum depictum viderit olim, cum cornibus tauri, pectore leonis, cauda draconis, varie à veſtigiis illis ad mentem reflectit; unde confuſius & obſcurius mens hæc percipiens, talem ſibi format ideam.

§. 24. Cauſa itaque hujus mali eſt confuſio tubulorum cerebri, quæ ſi ab ortu cœperit, vel male conſtitutioni, vel imaginationi, vel alii graviori paſſioni matris adſcribenda venit. Quod ſi poſt partum accidat, craſſus, viſcidus, ſuccus nervoſus accuſandus erit, aut confuſio tubulorum, à quacunque cauſa orta; unde ſuccus nervo-

vo-

vosus nunc hanc, nunc illam ideam in mente excitat, quare illa regularem cogitationum suarum ordinem observare nequit. Quis nescit vacillare infantum ratiocinia, quod per tubulos molliores & mucilaginosos delatæ impressiones, quasi suffocentur, antequam distincte & in regulari ordine menti deferri queant? Ubi vero successu temporis absumpta mucilagine firmiores & solidiores redduntur, ipseque succus nerveus particulis volatilibus instructior redditur, motus omnes distinctius imprimuntur & ad mentem continuantur, unde rectius ratiocinari vel cogitare incipiunt infantes. Ubi vero ad decrepitam ætatem pervenimus, omnia in pejus ruunt; vacillat memoria, ingenium, judicium, non quod menti nostræ aliquid decidat, cui tempus edax rerum injuriam nullam facere potest; sed quod enervatis omnibus fermentis, sanguis succique ab eo dependentes, fatalem illam induant crassitiem, tubuli collabascant, exsiccentur & callo quasi obducantur, aut rugosi fiant. Ex his causis cum motus distincte & alacriter non deferuntur menti, non nisi confuse & tarde de iis judicat, ideoque necessario memoriæ & ingenii ineluctabilem affert senectus jacturam.

§. 25.

§. 25. Veteres melancholiæ causam esse putabant atram bilem, in liene secretam, & massæ sanguineæ iterum commixtam; unde in melancholia lienem semper accusabant. Sed excusandus venit hic error, quod seculum ipsorum tantis experimentis Anatomicis non fuerit illustre, ac quidem nostrum. Nec tamen dissimulamus fieri posse, ut lien malo huic obstetricetur eodem modo, quo quæcunque alia pars solida. Constat lien plurimis glandulosis acinis, qui ab arteriali sanguine lymphaticum humorem accipiunt, qui per vasa lymphatica à sima lienis parte satis conspicue ad receptaculum chyli vehitur juxta hæc vasa lymphatica reperitur ingens tenuissimorum nervulorum congeries per quos dum succus nervosus ruit ingens ejus copia in glandulas illas deponitur; unde in continuo fluore servatur, & ab omni coagulatione & stagnatione præservatur lympha. Quod si jam lien vitio laboret, vel obstructione aliqua obsessus teneatur, lympha attenuari nescia, crassa & fœculenta reddita, diro huic malo fenestram aperit. Hac ratione quodammodo in liene causa hujus mali nasci posset, sed si omnia hujus opinionis momenta excutimus accuratius, videtur illa obstructio non causa,

causa, sed productum morbosum esse unde enim illa? nimirum à sanguine, lympha, succo nerveo crassioribus & acidioribus, qui cum expeditum per sua vasa iter consequi non poss nt, subsistunt & obstructionem pariunt: nec obscurum est, illam ipsam obstructionem, ut ut productū morbosum sit, postea quoque causæ vices agere posse.

Mania.

§. 26. Delirium hoc melancholicum sæpissime in maniam degenerat, estque delirium cum furore sine metu & sine febre. Causam tanti, tamque stupendi mali judicamus particulas sanguinis crassas, viscidasque particulis aliis corrosivis, angulosis, & à materia subtili vehementissime agitatis, imprægnatas. Ex tali sanguine generatur succus nervosus diversæ figuræ & magnitudinis constans particulis, viscidis, angulosis, acribus & corrosivis, quæ mille modis inter se agitatæ, celerrimo maximoque impetu abreptæ & ad M. S. iterum ex circulationis lege delatæ cerebrum petunt nec ibi diu moram trahentes erumpunt, circulumque dicto citius obeunt. Sic fugitivus ille succus nervosus viam suam, itque reditque longe frequentius, quam par est, & immani sua acrimonia, horrendos stupendosque motus excitat, ut & ipsa anima eos attendere,

re, moderari, aut de illis judicare sit incapax, invisa otia agat, & tanquam, cum corpore divortium faciens, feratur equis, nec currus audiat habenas. Particulæ succi nervosi, secundum proprios axes, à materia subtili, volutatæ, sensim sensimque subtiles & acriores redduntur; unde in majorem furorem transversim rapiuntur maniaci cumque tremulus fibrillarum motus ita augeatur, immane quantum æstuant. Porro particulæ illæ scindentes corrosivæ particularum ramosarum, viscidarumque compedibus detentæ, in aërem facessere facile nequeunt, hinc assidue & pertinaciter, irritando, tubulos nerveos, eosqoe vitiose intorquendo, vel confundendo, non temporarium, sed diuturnum, sed contumax contrahunt, fovent, nutriuntque delirium. Atque ideo mania differt à furore hominum justo liberius Bacchi flore aspersorum, ita, ut cito fit, ita cito perit: Nec tamen omni crimine absolvi potest ebrietas, ut enim est voluntaria insania, sic obstetricari maniæ solet, gratumque ipsi subministrare pabulum. Neque propterea aberrabimus si inter hujus furiæ causas primum locum concesserimus ebrietati.

§. 27.

§. 27. Videndum primo quid sit ebrietas, secundo quomodo infaustam hanc prolem pavere possit. Vinum omnesque liquores inebriantes constant particulis subtilibus, ramosis, sale volatili & acido impraegnatis, hae sanguini cumulatim & affatim affusae, ab aethere abreptae, in fluorem, concitatumque motum aufferunt massam sanguineam; unde succus nervosus vehementer agitatus, magno agmine ad cerebrum ablegatur, promptissime objectorum motus defert menti, alacriter nunc haec, nunc illa vestigia reserat, à quibus reflectens, menti ad sales, facetias, lepores, jocos, lusus ansam praebet. Caeterum succus nervosus citato gradu excurrens, totumque suum iter mira quadam dexteritate efficiens, omnes functiones corporis facilitat & quasi alas ipsi addit, quo fit, ut istiusmodi homines, queis omnia monte olim Olympico graviora videbantur, nunc quavis pluma leviora sentiant. Quod si eousque potando certare pergant, donec vino toti madeant, mutata scena longe alia surgit rerum facies: Contingit enim tandem, ut particulis spirituosis vel fermentabilibus praedominium obtinentibus, & ad tubulos cerebri pervenientibus, justo alacrius

crius moveatur machina, & ingentes turbæ, non modo in corpore, sed & in ipsa imaginatione oriantur; adeo ut tubuli, per quos fluens succus nervosus objectorum externorum motus menti deferri debebat, immodeste & tumultuarie, magna vi & impetu, aperiantur; tum vero dictorum factorumque ab aliis falsas & erroneas percipiens ideas mens irascitur, hoc est, invisas suscipit cogitationes, quas dictum factum furiosus sequitur succi nervosi in omnia membra motus, qui totam fere machinam tubulosque cerebri longe turbat vehementius: Omnia sursum deorsum volvit, arma ministrat, minas, maledicta suppeditat, denique efficit, ut brutale hominum genus, quicquid potius vel minimam occasionem, injurias, quas illatas sibi serio putat, ulciscendi dimittat.

§. 28. Sic itaque sentimus firmiterque persuasi sumus, particulis spirituosis abundantibus placide moveri machinam non posse, sed vehementiori impetu horsum vorsum agitari, excussum enim succi nervosi in corpus imperium est, succisa omnis eam blande & moderate movendi potestas, ingemiscit ulterius libidinosæ tyrannidi, cui jam inservire cogitur. Atque ita par-

particulis vini ſpirituoſis præponderantibus machina vel molendina corporis tanquam à furioſis equis miſerrime trahitur & concutitur, atque hoc illud ipſum eſt, quod in ebrietate machinæ noſtræ ſolet accidere. Quod ſi quis ad multam noctem iſtiusmodi compotationes ducat, jamque eo usque dementiæ pervenerit, ut vitalem ſibi vitam eſſe dubitet, niſi ſingulis diebus ſtrenue & ad ebrietatem Baccho litaverit, facile fieri poteſt, ut tubuli toties totiesque jam nimis & ultra ſphæram ſuam aperti, vitioſe intorti, pertinaciter talem figuram teneant, ſuccus nervoſus per iſtiusmodi tubulos fluens, à veſtigiis inter lites, jurgia & pocula impreſſis, jam altas radices agentibus, reflectendo, menti nunc has, nunc illas ideas obtrudat, unde ea in indignam hujus mali calamitatem præceps ruit.

§. 29. Ira brevis furor ad hoc malum multum diſponit. Quoties gravi quis contumelia, quæ vindictam poſtulare videtur, afficitur; mens hoc circa veſtigium detinetur, aſſiduo de ea cogitat, quo fit, ut ſuccus nervoſus in omnia membra vindictæ inſervientia, qua data porta laxis decurrat habenis, tubuli in cerebro toties jam aperti facilitatem aliquam ſibi conſciſcant, leviter

ter prompteque ſe aperiendi; unde tandem hæc via adeo trita redditur, adeo ampla & laxa, ut ſuccus nervoſus per eos ita diſpoſitos tubulos non poſſit non labi, mentem continuo his ideis occupare & ad iram furoremque ſollicitare. Idem & terrores inopinati moliri poſſunt, quod puerpera quædam ſuperiori anno experta dum milites Hungarici vulgo **die Huſſaren** importunius fores ædium pulſarent, quo illa tanto terrore perculſa ut jamjam de vita ſua actum eſſe putaret.

§. 30. Immani ſtupendio & Herculeo robore pollent maniaci, adeo ut vinculis, iisque robuſtiſſimis coerceri debeant. Oritur hoc exinde, quod muſculi immane quantum inflentur & explicentur, ſanguisque craſſus & motu inteſtino tumultuans tarde moveatur, diuturnamque moram nectat; Craſſiores vero ſucci nervoſi particulæ in celerem motum ablatæ, cœptum motum perpetuant, nec ab obviis corporibus facile repelli ſe patiuntur, unde diutius morantur, nec tam cito fugam capeſſant, quidquod corpora, quo ſunt graviora, tardius, quidem in motum abripiantur, ſed ſemel in motum abrepta, diutius motum, ſuum continuent.

§. 31. Intensissimum frigus etiam denudati absque omni noxa ferre possunt, quod crassæ sanguinis particulæ in vehementi motu constitutæ, satis fortiter agitent fibrillas nerveas, ut illæ facile quietem ab aëre incumbente inducendam, superare possint.

§. 32. Absurda loquuntur, nec sibi satis constant, nunc hoc, nunc illud agunt, nunc dicteriis aliquem incessunt, in arma volant, necem minantur, nunc palmam obtrudunt, favorem & amicitiam ambiunt & culpam deprecantur: Ratio est, quod succus nervosus inæqualibus magnitudine & figura particulis conflatus, atque idcirco irregulariter motus, nunc in hoc, nunc in illud vestigium desultorie incidat; unde menti varias, vagas, totoque cœlo discrepantes cogitationes uno eodemque momento occurrere necesse est.

§. 33. Mirum maniacos inter maximos gravissimosque diætæ errores diutissime vivere; putemus hoc inde proficisci, quod propter vehementem crassiorum particularum motum omnes tubuli satis aperti serventur, in quos dum particulæ flexiles liberum nanciscuntur aditum, necessario illos succo nutritio turgere homi-

nesque istiusmodi bene valere & diu vivere sequitur: & cum tandem malum hoc desinit in fatuitatem, à passionibus tantum non alterantur; hinc morbis, mortisque periculo minus sunt expositi.

§. 34. Dirum & stupendum est hoc malum, ut ut per se lethale non sit, est tamen ut plurimum incurabile, aut saltem curatu difficile, præprimis si à graviori passione ortum fuerit, ira, terrore, jactura bonorum. Quo altiores radices egerit, vestigia cerebro profundissime impressa obliterari tam facile non possunt, ceu plica chartæ fortiter impressa ægre explicatur. Si malum in succis hæret, curatu facilius, sin vero tubulis altius fuerit impressum, difficilius.

Vigiliæ.

§. 35. Nunc etiam præter affectus soporosos nimiis vigiliis ingemiscunt cachectici, qui, quod mirabile dictu, nunquam sunt in statu neutro, aut in somnum nimium propendent, aut vigiliis nimiis tantum non contabescunt, toti, quanti quanti squalidi & ad res peragendas inhabiles. Negatur mortalibus grata quies, continuisque vigiliis depascimur, ubi ad excursionem in totum corpus stimulatur succus nervosus. Hoc vero ut contingat, necesse est, ut succo nervoso immixtæ sint particulæ scindentes, cru-

crudæ, irregulares, quæ ubi hærent, in cerebro, promoveri nesciunt; hinc vellicando tubulos nerveos vi quadam succum nervosum adigunt ad excurrendum in tubulos nerveos; quod si illi salium aculei nullis visciditatibus involvuntur, dolorum faces simul accenduntur; si vero lympha diluantur vel viscido intricentur, indolentes vigiliæ producuntur.

§. 36. Non leve pondus huic sententiæ appendunt cura mœrorque quibus affici solemus vel ob factas nobis injurias, vel facultatum nostrarum jacturam, vel ob quamcunque aliam causam. Cum vero in hoc statu percepta quadam molestia continuo ea de re cogitet mens, non potest non fieri, quin succus nerveus in perpetuo motu detentus, omnem ab oculis somnum arceat, & tubulos cerebri veli instar semper distendat nec collabi sinat. Quod si justo pertinacius cogitationi illatarum sibi injuriarum indulgeat, succumque nervosum plus quam par est, defatiget, ille tandem omnibus particulis volatilibus perditis, crassior, acrior imo corrosivus evadet; qui cum lente motus objectorum externorum deferat menti, non potest non fieri, quin hæc eos lente & sero percipiat; cum quales in corpore motus, tales quoque in mente sint

cogitationes; unde si forte succus nervosus crassus vestigium alquod reserat, huic diu inhæret, & dum pertinaciter versatur mens in objecti illius consideratione, omnis quiescendi succo nervoso adimitur potestas hinc vigiliæ; aut si aliquibus tubulis nerveis subsidentia adhuc conceditur, variis insomniis torquentur. Hinc sequitur quod ex pertinaci spirituum per tubulos nerveos motu vigiliæ oriantur continuæ, quare vigiliis & insomniis excruciati distentionem quandam capitis pulsumque percipere solent. Nec pertinax ille motus succi nervosi præsupponit ejus abundantiam ut à nonnullis creditum est, videmus enim senes qui toti sunt cachectici continuis vigiliis torqueri: Quis proinde asserere dubitabit vigilias à succi nervei inopia & crassitie, prædominioque particularum acidarum & viscidarum derivare.

§. 37. Qui cibi crassioribus, digestuque difficilioribus, nec non vino austero se ingurgitant, insomnem ut plurimum noctem ducunt: Distento equidem ventriculo, pressoque per consequens diaphragmate, quis non videt, omnes trahi nervos, premi & convelli, cumque hi ad cerebrum usque tendunt, ibidem quoque excitato isto motu tensivo continuo horsum vorsum succum

cum nerveum impelli oportere? quo ita lacessito frustra quietem, frustra somnum speramus.

Epilepsia.

§. 38. Ex hoc quoque morbo Cardinali prodit epilepsia, quæ est subitanea ægri in terram prostratio, cum vehementi partium externarum concussione, vel internarum contractione, sensuum internorum læsione, post aliquot sæpe dies, menses vel annos revertens. Diversas vero easq; pene infinitas hic Protheus induit facies, simul atque hoc malo corripiuntur, auram frigidam persentiunt accedentem, ab occipite ad verticem capitis vergentem; nonnunquam videntur sibi aqua calida per omnes artus derepente profundi; nunc faciei pallor, nunc rubor præcedunt, inordinatus linguæ motus capitisq; dolor atque gravitas, nec non oblivio, animi inconstantia vertigine divexantur, effunduntur oculis caliganti-bus tenebræ; nunc scintillæ, muscæ & nubeculæ obversantur. Qui fortiori epilepsia corripiuntur, spumam habent circa os, tandem sensibus orbati, subito in terram concidunt cum valida corporis concussione. Nonnulli antequam prosternuntur, huc illuc discurrunt, corpus miris modis agitant, capite, dorso, brachiis, pedibus, parietes, strataq; pulsant; lecto contineri nesciunt;

oculos invertunt, pectori maxillam allidunt, nunc in dorsum contorquent, cantilenas recitant, preces dicunt, nunc diras imprecantur, nunc in altum elevantur, adeo ut sæpius ab ignaro vulgo pro obsessis habeantur. Sæpe seminis, stercoris, urinæ involuntaria fit effusio, nunc stertunt, nunc vociferantur, nunc supressa vox occurrit, qualis strangulatorum esse solet; sunt qui linguam exserunt instar canis sitientis, dentes nonnunquam ita inter se colliduntur clauduntur que ut eos diffringi diceres.

§. 39. Causa tam nefandi mali videtur esse succi nervosi inordinatus motus, sublata indifferentia. Quicquid igitur succum nervosum tumultuarie agitare aptum natum est, illud huic morbo fores pandet perfacile, huc referuntur crassæ tenuisque meningis symptomata, humor acris in cerebri cavitatibus, ossa, vermes, tumores, terrores. Talia sæpissime in cadaveribus apertis reperiuntur, nec tamen semper; usu enim nonnunquam venit, ut fermentum aliquod acre succo nerveo immixtum, funesta hujus mali sit genetrix; nunc in aliis partibus hæret causa, ex gr. in ventriculo, intestinis, utero &c. nunc à fermento quodam exotico, hoc est particulis acribus corrosivis ex lati-

bulo

bulo ſuo quacunq; occaſione excuſſis, ſuccumque nerveum in ataxiam abripientibus propulſulat. Nec ſilentio eſt involvenda epilepſia infantum tempore dentitionis. Quin & nonnunquam à cruditatibus lacte coagulato acidiori reddito, bile æruginoſa, acidum exceſſivum ſpirante & tormina patiente, cum & iſtæ cruditates acidæ gratiſſimum præbeant hoſpitium. Illas ipſas huic malo patrocinari teſtatur experientia, loquitur ratio, clamant Medicorum annales. Cæterum utcunque ſeſe res habeat non ineleganter malum hoc appellari poſſet ecclypſis ſucci nervoſi, quandoquidem appetente paroxyſmo omnis ſuccus nervoſus in nervos muſculoſque vi quadam impellitur: æger interim omni occaſione impreſſiones motuum in corpore ab objectis externis impreſſorum percipiendi & in æquilibrio ſe ſervandi, privatus, proſternitur humi, & tamdiu iners jacet, donec tantum ſucci de novo generatur, quantum ad ſyſtematis irradiationem requiritur.

§. 40. Diximus omnem ſuccum nervoſum in nervos propelli, nihilque aut admodum parum in levioribus ſcilicet paroxyſmis in cerebro morari. Hujus rei documentum egregium eſt, quod objecta externa nullam impreſſionem in cerebro faciant,

ciant, aut illa ſaltem menti non deferantur, quod delator (liceat eum ſic ſalutare) ſuccus nerveus deficiat; eundem vero in nervos inſigni impetu ruere probant inconditi vehementesque motus, quales ſunt ſpuma circa os, ejulatus, clamor, qui non niſi ſucci nervoſi acrimoniæ & impetuoſitati in acceptis referri poſſunt. Jam vero ſcitu fas, quibus ſuccus nerveus furiis agitatus, tam derepente & inopinato quaſi ſigno dato ſæviat & in totum corpus effuſus, tam diras cieat tragœdias. Statuimus itaque & præ nobis ferimus eſſe vel in vel extra cerebrum fermentum vel particulas corroſivas ſcindentes ſucco nerveo immixtas, quæ tubulos nerveos vellicant irritantque. Hoc dum fit non poſſunt non ſpiritus tubulis cerebri contenti in motum rapi, ac fulminis inſtar fugam in nervos arripere.

§. 41. Cauſam hujus mali diximus non ſemper eſſe quærendam in cerebro: in omni namque parte ſolida fomes illius naſci poteſt. Sic obſtructionem ſanguinis menſtrui non raro excepit hæc furia: Ratio eſt in propatulo: ſtagnans in uteri tubulis ſanguis longe alias particulas ſitu, figura, magnitudine diſcrepantes & longe alios poros

ſuc-

successu temporis induit; adeo ut æqualiter, ut placide & absque tumultu cum reliqua massa sanguinea misceri nequeant; unde in se invicem insurgunt, & tandem cum reliquo sanguine per venas ad cor, & inde ad cerebrum perveniunt. Hæ succo nerveo mixtæ particulæ cum abludunt ab ejus figura, situ & magnitudine, necesse omnino est, ut perniciissimo materiæ primi elementi motu abreptus succus nervosus instar pulveris pyrii vel lachrymarum vitrearum præceps in nervos ruat, ridiculos & inconcinnos motus in membris excitet.

§. 42. Solet paroxysmus certis temporibus, singulis diebus, septimanis, annis, postliminio redire. Ratio est, quod tanto temporis spatio opus sit, antequam sanguis ad eam acrimoniam acidam & corrosivam perduci possit, ut vellicando nervos, ferale hoc malum iterum excludat.

§. 43. Nonnullis ad pubertatis annos progressis victas manus dedit hoc malum. Tum scilicet temporis & in massa sanguinea & in succo nervoso & in semine omnibusque fermentis luxuriare incipiunt salia volatilia oleosa, quæ corrosivum istud acidum, tristem tanti mali patratorem domare & sub jugum mittere apta nata sunt.

§. 44.

§. 44. Sunt inter Medicos haud pauci, qui ad effluvia lunæ confugere solent comprimis cum experientia teste hujus phasi auscultare soleat. Etsi enim non diffitear lunam pro diverso cum cæteris planetis & ipsa terra, aspectu, aliam atque aliam cum diversis effluviis materiam primi elementi spargere in hæc inferiora, eandemque sanguini nostro infusam, pro diversa sui figura diversas tragoedias, calamitates motusque insolitos excitare & fermentum aliquod ex tubulis excutiendo hoc malum producere posse; nolim tamen leviter foris, ubi domi suppetunt, hujus mali causas accersere.

§. 45. Puerorum epilepsia ab hac non nisi gradu differt, dividiturque in internam & externam. In illa viscera abdominis imprimis mesenterium, ventriculus & diaphragma convelluntur. In hac externæ quoque partes in calamitatis societatem rapiuntur; illius causa videtur esse acidum particulis caseosis & viscidis involutum; in primis viis hærens, fibras nerveas vellicans, aliasque per consensum affligens. Hujus acidum compedibus solutum, continuaque primi elementi rotatione subtilius & acutius redditum, ut primarum viarum limites

tran-

transsilire, & in ipso œconomiæ meditullio funesta sua tramita ludere possit; hinc & hujus & illius est prodromus, nec infidus nuntius.

§. 46. Quam spem ars nostra nobis accendat, paucis exponamus. Omnis epilepsia periculosa curatuque difficilis; si quæ justo diutius duraverit, creberrimis insultibus miseros postliminio invadit: Etenim tubuli cerebri adeo laxantur & disponuntur paroxysmorum frequentia, ut particularum istiusmodi heterogenearum incursibus facile pateant perfosso jam aggere, remotisque repagulis. Idiopathica plus periculi alit, quam sympathica. Quo diutius protrahitur paroxysmus, eo deterior judicatur morbus. Pueris hoc malum tantum non est familiare, adeo ut si qui, hoc certe morbo pereant. Causam refundimus in tubulorum teneritudinem, fibrarum mollitiem, delicatamque texturam; secundo in acidi corrosivi à lacte oriundi abundantiam. Epilepsia hæreditaria nunquam vel rarissime curatur. Ante pubertatem quæ contingit curam adhuc admittit; post annum vero 25. fidissimus erit ad necem usque comes; quanquam exempla nonnullorum annum 25. jam egres-

gressorum, & tamen feliter curatorum, passim apud Autores prostent. In stupiditatem & melancholiam incurabilem ut & paralysin degenerare solet, quin & aliquando mentis alienatio, denique apoplexia turpi matri, turpiores filii presso pede subsequi solent.

Catalepsis. §. 47. Ad capitis morborum classem ex fonte cachectico oriundorum merito refertur catalepsis, latine prehensio: est ubi æger detinetur in eo situ, in quo erat, primo invasionis momento, cum sensuum labefactatione; nunc sedens, nunc jacens permanet, palpebræ rigent, pedes ad ambulandum compositi, manus ad amplectendum exporrectæ, protrusus ad aliquot passus progreditur, tum in priori statu remanet: verbo statuam videbis attonitam. Differt ab apoplexia, quod respiratio sit illæsa. Ab animi deliquio, pulsus integritate. Ab epilepsia, motuum convulsivorum absentia. Numeratur vero merito inter affectus soporosos, hac tamen cum differentia, quod aliquid convulsivi subsit, in illis enim motu & sensu orbatus concidit æger, membraque flaccida sunt, in hoc in eodem situ detineatur, cum aliquali rigiditate.

§. 48. Causam veteres male rejecerunt

in

in ſpirituum animalium congelationem. Alii ſpirituum nimiam accuſant copiam: poſita namq; ſucci nervoſi abundantia, hoc malum tamen nullo modo produci poteſt. Taceo ſenes utplurimum hoc malo corripi. Alii ad ſenſorium commune glandulam pinealem confugiunt, cauſamque unius vel alterius ejusdem lateris obſtructionem vel obſidentiam à particulis craſſioribus & viſcidioribus; qui arbitrarium ſpirituum animalium motum tollunt, manente ſemper priore determinatione; unde quia glandula pinealis mentis imperio amplius auſcultare neſcit, propterea ſpiritus eodem ordine, eademq; influunt copia & membra eundem quem in ſtatua, induunt ſitum, donec ab adſtante tanquam à cauſa externa nervorum pori propter hunc motum mutentur, & ob novam impreſſionem ſpiritus, alii in muſculos influant. Cum vero tota doctrina de glandula pineali præjudiciis inhærere videtur, imperiumque quod anima in glandula pineali tanquam in throno ſedens exercet, non niſi imaginarium ſit, denique ſuperfluum ſit conarion ſibi fingere, ubi miſſo illo longe elegantius & autopſiæ convenientius omnia circa mentem, ejusq; cum corpore conjunctionem occurrentia phœnomena explicari poſſunt.

§.49.

§. 49. Nemo itaque nobis vitio vertet, si Philosophica libertate freti missis aliorum opinionibus nostro aliquid ingenio vendicemus. Patet in hujusmodi ægris circulationem sanguinis & succi nervosi libere peragi, utrumque constat ex pulsu & ex respiratione. Stat igitur instar Marpesiæ rupis immobilis & attonita machina, objecta externa eam nihil movent, nihil alterant. Ex quibus absque negotio conficitur, mentem objecta externa non percipere. In culpa esse oportet obstructionem quandam vel angustationem corporis striati, in illis nimirum tubulis, per quos objecta menti repræsentantur; dum interea temporis tubuli per quos succus nervosus à cerebro ad organa sensuum prorumpit aperti liberique manent in quos succus nervosus vi quadam adigitur & impellitur.

§. 50. Ut ut morbus hic vel corvo sit rarior albo, ipsique Galeno semel solummodo occurrerit, attamen si altius hominum imprimis meditationibus acrioribus deditorum indolem consideramus, luce meridiana clarius apparebit, eos sæpissime aliquid huic morbo simile experiri. Ecquis ignorat esse, qui mentis aciem in hoc vel illud objectum tam pertinaciter intendunt,

ut tonet licet, fulguret, campanarum ſonitus, hominum clamores, ejulatus interſtrepent, nihil tamen audiant mente unius alicujus objecti conſideratione tota occupata; adeo ut ſuccus nervoſus continuo defatigetur vel ſollicitetur ad objectum hoc repræſentandum. Quod dum fit, licet objecta externa in ſenſuum organa impetum faciant mentem tamen non movent ſucco nervoſo horum impreſſiones deferre negante & alii negotio intento.

§. 51. Nemo hic dubitabit, quin hoc acutum malum ſit & periculi plenum, cum obſtructiones tubulorum cerebri ſemper aliquid monſtri alant. Quod ſi mitioribus ſymptomatibus ſtipatum incedat, minus erit periculoſum. Si ſenes occupet incurabilis habetur. In epilepſiam, apoplexiam alioſque ſoporoſos affectus deſinere ſolet, tumque Hannibal ante portas.

Hæmorrhagia narium.

§. 52. Hæmorrhagiam narium ex fonte cachectico derivandam quoque eſſe nulli dubitamus: Cauſam rimamur eſſe ſanguinem inæqualibus aculeatis particulis arcmatum, qui languidius per vaſa narium capillaria propellitur, & tantum non ſtagnans aucto motu inteſtino ruptiſque par-

ticularum involucris ſcindentes particulas in vaſorum latera magno impetu magnaque vi vibrat, neceſſe omnino eſt, ut diſtenta ſic vaſa paulo poſt rumpantur, ſanguinemque affatim labi ſinant. Hæmorrhagia itaque narium oritur, ubi vaſa internam narium membranam perreptantia rumpuntur; Rumpi vero non poſſunt, niſi ſanguis propter craſſitiem ſuam ſtagnet, dein contracta acrimonia rodat vaſa & dilaniet. Ut vero & hoc fieri poſſit, totius maſſæ ſanguineæ cachexia præludat oportet. Ex hoc proinde conficitur, ſanguinem laudabilem nunquam eo usque abundare poſſe, ut vaſorum oſcula nimis repleta & dilatata ſanguinem effluere ſinant.

§. 53. Aromata, cibos boni ſucci, vulgo calidos dictos, volatilia, ſpirituoſa quæcunque hæmorrhagiam excitaſſe non æque diffiteor, ſed tum ſanguinis craſſities ſimul præceſſit. Si tum ſpirituoſa quæcunque ubertim ingeſſeris, fieri aliter nequit, quin ſanguis in vaſis capillaribus ſecundum minima agitatus & commotus, rapidiſſimoque per vaſa delatus motu valde urgeat, premat & ad progrediendum ſollicitet in vaſis minimis ſanguinem craſſiorem; cum vero, quo pedem ille promoveat, non habet, ne-

que

que vasorum angustia propriaque crassitie impeditus ex tempore pressioni auscultare queat, impetum in vasorum suorum latera facit, atque ea eousque distendit, ut illa rupta sanguini urgenti viam faciant. Videmus proinde hic sanguinem nunquam effluxisse si ita tenuis & subtilis fuisset, ut à particulis volatilibus impulsus per omnia sua vasa etiam minima & angustissima pari, qua per ampliora alacritate meare potuisset.

§. 54. Consuetarum excretionum suppressiones hæmorrhagiam narium produxisse plus vice simplici observatum est. Sic impedito mensium fluxu sanguis per nares exitum quæsivit, eo quod negato per muliebria transitu eo versum iter flexerit, qui dum ex sanguine cachectico, acrior & crassior exstiterit, in vasis narium capillaribus stagnans ea excedit & perterebravit. Eodem modo ex sanguine cachectico aliæ etiam oriuntur hæmorrhagiæ.

§. 55. Cum in sanguine thesaurus vitæ latet illius nimiam profusionem cum præsentissimo vitæ periculo junctam esse, nemo non videt. Si sanguinis ille fluxus ultra 4. libras se extendat malum, si ultra 6. vel 8. pessimum, si vero à 14. ad 20. lethale.

thale. Si extrema frigeant, facies sit pallida, viridis vel pallida, actum est de ægro. Si sæpius recurrit quanquam ex cachexia oriatur, eam tamen reddit contumaciorem, adeo ut effectus dein quoque causam agat.

Asthma. §. 56. Frequens quoque cachecticis symptoma est asthma, quod est difficilis respiratio aliquando cum sonitu & strepitu, interdum sine illis. Gradus suos habet, quos obiter solum notamus. Primus est ubi sine sonitu & sibilo spirat æger, diciturque *dyspnœa.* Ubi vero sibilus adest sonus & anhelatio *asthma* dicitur: estque secundus gradus. Tertius ubi adeo ingravescit malum, ut non nisi erecto corpore spiritum ducere possit, vocaturque orthopnœa. Est vero hic morbus nihil aliud, quam ipsissima cachexia, vel tardior sanguinis omnium que succorum circulatio. Extra omnem dubitationis aleam positum est sanguinem satis subactum, comminutum subtilemque redditum angustos pulmonum tubulos prompte & absque omni negotio subire. Quod si ille crassior sit, multisque irregularibus acidis viscidisque particulis foetus, fungum oportet esse, qui non videat, illum necessario tardius & lentius

tius progredi debere, imo plane subsistere & pedem figere; quandoquidem vero à retro adveniente sanguine continuo prematur extendit ille tandem vasa, quæ incumbendo tubulis, eos angustant, succique nervosi influxum impediunt; quare motus deficit, quin & ipsæ vesiculæ pulmonales dum ita coarctatæ, tantum aëris, quantum ad expansionem necessarium, admittere recusant, ineluctabilis oritur respirandi difficultas sanguis istiusmodi dum pulmonum tubulos pererrat, hinc inde circa bronchia hæret quæ angustando & premendo vesiculas, iterum difficilis respirationis funesti existunt parentes.

§. 57. In hisce casibus sputum crassum & viscidum excernitur cum levamine; unde illud asthma pectorale dicitur. Ubi nihil excernitur siccum ideo asthma salutatur aut convulsivum. Ventriculus cibis vel chylo crudo & acido eodemque in flatus resoluto valde distentus, vel alia viscera intumescentia mole sua non raro premunt diaphragma, adeo ut illud libere descendere pectorisque cavitatem ampliorem reddere nequeat, pro expandendis pulmonibus ac diastole cordis, unde difficilis respiratio asthma stomachale dictum originem trahit: Quæ species omnium frequentissima,

pulmonalem talem ut plurimum vel comitem vel pedissequam nanciscitur. Asthma hystericarum quid sit infra videbimus.

§. 58. Scire juvat, unde sibilus in Asthmaticis? Oritur primo, ubi bronchia succo crasso, viscido obsessa sunt, per quæ aër libere & recte explodi nequit, sed hinc inde impingit, variis modis infringitur, sicque sibilum producit: non aliter, ac videmus, dum ventus per angusta loca flat, istiusmodi sibilum produci. II. Usu aliquando venit, ut cum diaphragma deorsum se constringere nequit, resistente ventriculo, pulmones respiratione inflar ob illius resistentiam; non uti alias æqua em positionem consequantur, sed eorum tubi variis modis intorqueantur; unde per bronchia ita incurvata & contorta aer libere pertransire prohibitus quin iis allisus strepitum sibilumque efficiat. Hujus rei evidentissimum nobis præbent argumentum illi, quos à cibi potusque viscidorum & per consequens flatulentorum nimia ingurgitatione desubito malum hoc invadit.

§. 59. Erecti liberius spirant, quam in quocunque alio situ locati, quod ita viscera diaphragmati non amplius sint tanto oneri, nec ipsi incumbant; sed dilabendo efficiunt,

ciunt, ut illud ulterius descendere ampliusque spatium dilatandis pulmonibus relinquere possit.

§. 60. Asthmata quæcunque nunquam periculo vacant. Ubi ex cruditatibus in stomacho collectis oritur, levis est; quandoquidem vero tum & ipse sanguis crudis viscidisque particulis turgere solet, facile hinc inde obstructiones nascantur & ineptum, glutinosum fermentum in ventriculum depluat, necesse est; quod vitium deinceps non tam prompte se curare patitur, nisi ipsa cachexia funditus eversa fuerit. Ubi asthma oritur ab impedito succi nervosi influxu, præsentem intendunt omnia mortem, nisi in tempore curatur, alias excludit furias, apoplexiam scilicet. In juvenibus facilius curatur, quam in senibus. Asthma cum syncope & pulsu languido, intermittente, inæquali, inordinato, ultimam denuntiat necessitatem.

Palpitatio & syncope.

§. 61. Huc quoque pertinet palpitatio cordis ex fonte cachectico orta; sed cum supra jam de ea egimus, actum agere supersedemus. Itaque ordine occurrit syncope in qua subito ac inopinato concidunt ægri pulsu & respiratione intermittentibus, sudor frigidus erumpit, partes corporis frigent

ac pallent, urina, fœces alvinæ ignaris efflu-unt. Est itaque præceps virium lapsus, qui varios tamen admittit gradus: I. Enim debilitatem & anxietatem quandam persentiunt ægri, diciturque eclysis. II. Parum abest, quin in terram concidat æger, diciturque lipothymia. III. Æger nolit velit humi prosternitur omnis sensus expers, diciturque proprie syncope.

§. 62. Causæ sunt vel internæ vel externæ; externæ sunt odores grati, adeo ut ab odore moschi & rosarum lipothymiam incurrant. Id vero imprimis contingit hypochondriacis, quæ jam crassiorem & fœculentiorem sanguinem habent, eumque tardius circulantem, succumque nervosum particulis volatilibus depauperatum. Quibus positis facile est insoliti & stupendi hujus phænomeni causam divinare, adeo ut causa hujus mali jam in ipso sanguine hæreat & ab odoribus illis in actum deducatur; documento nobis sunt virgines, quæ suaveolentia ista optime ferre possunt, gravidæ autem factæ aut si menses, supprimuntur, insigniter læduntur: postea vero enixo partu aut iterum fluentibus mensibus, eadem ferre possunt. Particulæ scilicet ramosæ ex objectis hujusmodi exhalantes. Sanguini

guini torpenti ſuccoque nervoſo ſe immiſcent, particulas ejus volatiles involvunt, unde fermentationem ſupprimunt, influxumque ſucci nervoſi impediunt: quare tollitur motus circularis, ſanguis ſubſiſtit & machina concidit. Quod ſi horum naribus admoveas ſpiritum urinæ ſalis armon. aliaque fœtida, ſed valde volatilia & penetrantia dictum factum ad ſe redeunt, quia particulæ iſtæ aculeatæ in motum rapidiſſimum raptatæ ramulos illos diffindunt, obſtructiones expediunt, fermentationem reſtituunt, ſuccum nervoſum craſſum & viſcidum attenuant tumque impellunt.

§. 63. Inter internas cauſas numeramus animi paſſiones fortiores, triſtitiam, iram, imo interdum lætitiam, quod in hac paſſione ſuccus nervoſus omnis impendatur ad objectum, quod gratum ſibi putatur, omnibus coloribus vivacius repræſentandum; hinc parcius ille influit ad parenchyma cordis contrahendum, quod mirum in modum dilatatum; extra tonum ſuum conſtituitur quare deinceps illud contrahi neſcium, ſanguinis circulum abrumpit, non aliter ac videmus flatum in venam jugularem immiſſum canem ex templo extinguere. Inter internas cauſas etiam numeramus nimias evacuationes, cujuſcunque

 ſucci,

succi sive sanguinis, sive seminis, sive sudoris, lymphæ intestinalis urinæ quas semper aliquid monstri alere in vulgus notum est.

§. 64. Nonnulli cachectici hypochondriaci dicti, si diutius jejunium protrahunt, idem sibi malum conciscunt, qui si tantillum saltem alimentorum assumunt, dirum illud malum antevertunt? Ratio est, quod in ventriculo ingens humorum saburra acido-viscida hæreat, quæ mora acrior evadit dum in se invicem insurgendo à compedibus particularum viscidarum acidæ liberantur, quod probant ructus copiosi jejuno ventriculo eructantes; unde illæ atrocius aggrediuntur orificium ventriculi, quod spasmodice convellendo in consensum trahunt diaphragma, nec non cor, quod mediante pericardio hui : nnexum est. Quod si jam tantillum cibi assumunt, acidum illud corrrosivum sui juris redditum habet in quod agat, & à quo ad tempus iterum subjugetur. Idem fatum quoque experiuntur, illi qui fame canina laborant, ita ut nisi satius capiant, præcedente cardialgia animo delinquant,

§. 65. His ergo positis causis remotis, ipsa causa proxima jam præsto est, quam nul-

nullam aliam facimus, quam tardiorem circulationem ſanguinis, aut aliqualem vel jam incipientem ſtagnationem; hanc vel ſequitur, vel comitatur, vel præcedit tardior, vel ſegnior, vel inordinatus ſucci nervoſi influxus, ingens utriusque cauſæ & neceſſaria omnino affinitas; hinc ſuccus nervoſus craſſusque molendinam cordis minus alacriter impellit, inque nervos ſatis valide excurrere prohibitus, machinam corruere ſinit. Acidus vero ſi fuerit ſuccus nervoſus, premit & vellicat fibras, unde convulſiones, quæ parenchyma cordis conſtringendo, ejus diaſtolem impediunt, quare ſanguis in fatalem propendet ſtagnationem.

§. 66. Animo delinquentes in ſummo verſantur vitæ periculo, cum mors nihil aliud ſit, quam totalis ſanguinis ſuccorumque ſtagnatio, quam illis imminere audivimus, ſi adhibitis medicamentis externis & internis ad ſe æger non redierit, ultima pati cenſendus; quæ nimias evacuationes inſequitur, minus periculoſa eſt.

Appetitus proſtratus.

§. 67. Jam gradum facimus ad morbos ventriculi primarumque viarum, quorum infinita datur ſeries, appetitus eſt proſtra-

ſtratus ex variis cauſis vel quod fermentum deficiat, vel aliis particulis terreſtribus, viſcidis involutum ſit. Deficit fermentum, quando nullum per glandulas ventriculi ſecernitur quod ſanguis viſcidus & particulis activis deſtitutus tardius circulet, & in minori copia tardiusque appellant fermenta ad ſua organa ſecretoria, in quibus vel hærent, vel tarde pedem promovent. Dein cum tranſpiratio minor eſt exiſtente ſanguine craſſo & viſcido, minus quoque exaltantur particulæ ſpirituoſæ nec in ſufficienti copia debitaque ſubtilitate in ventriculum depluunt. Præterea minor etiam eſt particularum jactura, ut tanta humorum reſtitutione, non indigeat machina, quare minus etiam appetitu commonentur ad defectum illum reſarciendum. Strenui quoque potatores tandem appetitum perdunt, qui utplurimum parce comedunt, egregie autem bibunt, ita ut potu ſaltem vitam ſuam ſuſtentare videantur. Continua namque iſta ingluvie primo fermentum eluitur. II. Alimenta antequam mutationem ſuam in ventriculo maxime neceſſariam paſſa ſunt, cruda indigeſtaque protruduntur in inteſtina, quod vitium deinceps non ita facile corrigitur, dum illud

in-

inevitabilem ſanguini infert cachexiam. III. Debita fibrarum conſtrictio læditur, dum potu ad ſummum usque ſe replent, ut eadem, qua ingreſſus eſt via, interdum redire contendat; quare ſi poſtea tantillum ſaltem aſſumunt alimentorum, graviter læduntur, dolorem compreſſivum ac anxietates percipiunt, eo quod alimenta gravia ſint & ponderoſa, dum læſa naturali fibrarum conſtrictione tam prompte ulterius propelli nequeant, nec reſolvi.

§. 68. Illi quoque qui toto die comedunt, aut viſcidis, oleoſis ſe invitant, ad ultimum usque punctum ſatietatis appetitum perdunt: plus enim ingerunt, quam à fermento diſſolvi poteſt, tollitur proportio inter fermentum & alimenta quam continuo ſervare poſſe prudentis eſt. Hinc cruditates, & viſciditates accumulant, quibus fermentum obtunditur, & quod denuo in ventriculum defertur, totum eſt in cruditatibus illis reſolvendis, in quibus reſolvendis omnem ſuam perdit activitatem. His ita poſitis cum fermentum vel deficit, vel iners redditum eſt, quid mirum ſi appetitus pereat? denique in triſtitia ſuccus nervoſus parcius, in ira perturbate influit, mens

alíis

aliis occupata, motus corporis non attendit, nec de iis cogitat; unde similiter appetitus perit.

Fames canina

§. 69. In quibusdam cachecticis cum appetitus est prostratus, nunc in aliis nimius est, qui suos patitur gradus. Primus est, ubi avide in cibos involant, ac si sat ac nunquam capere possint, eaque vel prompte digerunt, vel cruda adhuc & indigesta vomitu rejiciunt, diciturque fames canina. Secundus est, ubi propter impensius desiderata alimenta, animi deliquium coincidit, diciturque bulimos causam utriusque refundimus in acidum corrosivum, particulis viscidis liberum, quod probant illi, qui interdum acida, æruginosa evomunt, quæ dentibus stuporem inducunt, imo vasis æneis excepta ea in æruginem arrodunt, qui autem ex his humoribus acidis lipothymia produci possit, supra (§. 64.) demonstravimus.

§. 70. Malum hoc per se minus est periculosum, nisi graviores affectus accersat, si animi deliquium supervenit, non omni periculo caret: Cæterum si diutius durat, etiamsi probe videantur omnia digerere, non unum portendit periculum tabem, hydro-

dropem, arthritidem, podagram calculum &c.

Pica & malacia.

§. 71. Præterquam quod appetitus imminuitur & augetur, diversimode quoque depravatur. Cujus duæ sunt species, prima ubi appetitu nimio intensoque desiderio appetunt usualia; vocaturque malacia: secunda pica est, ubi appetitu intenso inusitata appetuntur, v. gr. creta, calx aliaque. Malum hoc familiarius est fœminis quam viris, quamquam & horum exempla apud Autores prostent. Causam si quis rogat, paucis eam dicamus. Ut sanguis feliciter particularum suarum fermentationem perennare possit, inter alias causas requiritur, ut ille diversitate particularum gaudeat, quæ cum diversos inter se poros formant, diversum etiam ætherem admittunt, & motibus à se mutuo diversis agitantur, non secus atque pulvisculi solis tumultuario inter se ordine volitare solent. Quod si jam nonnullæ particulæ in sanguine deficiant, fermentatio multis modis læditur, sic liquores destillati ut spir. vini fermentationi obnoxii non sunt, quod particulis constent subtilissimis, quæ æqualiter inter se moventur, premuntur, porosque relinquunt tales, per quos materia subtilis re-

recta fluere poteſt, absque ulla particularum læſione & remotione.

§. 72. Hunc particularum nonnullarum defectum in ſanguine animadvertimus ope ſenſuum, quibus ſtatus œconomiæ noſtræ nobis indicatur. Sic ſupra in primo Morbo Cardinali (§. 130. & 131.) demonſtravimus appetitum interdum in hoc vel illud alimentum ſpecifice ferri, in quo ſæpiſſime medicamentum quærit, ad felicius continuandam ſanguinis fermentationem. Videmus hoc quoque in Gallinis, quæ ſi per aliquot dies lapillis & arenulis deſtituantur, parietum calcem aliaque terrea avide devorent, ut & illas pica laborare diceres: non alia de cauſa, quam quod in earum ventriculo ejusmodi particulæ deficiant; quibus alimentorum diſſolutio & comminutio in acceptis ferendum erat. Nec hæ particulæ terreæ in ventriculo ſolum deficiunt, ſed & in ipſo ſanguine; hinc ova ſubventanea pariunt.

§. 73. Simile quid omnes experimur toto die, quod illi, qui à morbis convaleſcunt, ſpecifico appetitu alimenta ſibi grata & ſalutaria determinent, dum dicunt: **Wann ich das hätte/ wolte ich mich geſund daran eſſen.** Ex quibus patet picæ & malaciæ

ciæ causam ponendam primo esse in defectu quarundam particularum, quarum restitutionem appetitus ille specificus indicat; unde bene illis cedit quicquid etiam appetant.

§. 74. Causam secundo, statuimus esse fermentum depravatum, quod depravari mille modis potest; unde cogitatione potius, quam fando assequi illam varietatem possumus. Sic qui toto vitæ suæ stadio nihil præter salita, viscida, aliaque difficulter dissolubilia, assumserunt, ipsis Religio est alia fercula delicatiora degustare: Ratio vulgaris est, quod qualis chylus, talis sanguis, qualis sanguis, tales etiam sunt humores, qui ex sanguine natales suos derivant. Itaque eandem, quoque indolem præ se feret fermentum ventriculi, qualem alimenta assumpta, proinde dum fermentum illud, quod peculiarem particularum suarum habet figuram, situm & magnitudinem, peculiari modo fando inexplicabili orificium ventriculi superius vellicat, necesse est talis oriatur in mente cogitatio, qualis conveniens est cum natura, aut cum consuetudine; unde appetuntur talia, quorum fermentum ventriculi ideam in mente excitavit. Sic hypochondriaci, quorum

ventriculus acida saburra repletus, acida appetunt, quæ tamen insigniter lædere solent. Paucis ut dicam, diversas illas fermenti vellicationes eadem ratione anima distinguit, ac tactu solet dignoscere variorum corporum superficies, aliaque corpora quæ diverso motu, figura & magnitudine in organa sensuum agunt; hinc sequitur pro diversa constitutione fermenti, alium atque alium in mente excitari appetitum.

§. 75. Causam III. putamus quærendam esse in delirio aliquo, dum mens motus corporis justo diligentius auscultat, ita ut illa nihil videatur agere velle, nisi quod per corpus ipsi repræsentatum fuerit; hinc mulieres otiosæ, delicatæ, quæ sensibus suis sunt mancipatæ, ut plurimum præ pauperibus sunt huic malo obnoxiæ. Dies enim noctesque meditantur, qui ex asse sensibus suis depravatis gratificentur ac blandiantur; unde inter deliberandum, si forte in aliquod objectum incidant, diutius illi inhærent, quod dein altiores agit radices ac robur accipit, ut nulla arte deleri possit, dum illæ animo sint imbecilles & passionum suarum impotentes: non enim didicerunt passiones suas rationibus revellere,

imo

imo quidvis potius moliuntur, ut gratiſſimo illas pabulo ſuſtentent. Affici autem in hoc morbo phantaſiam, docet nos indies experientia, dum picantes & prægnantes, ſi re impenſius deſiderata non potiantur, nævos aliaque funeſta fœtui ſuo affricent. Qua ratione autem illa ex tali phantaſia oriantur, hic jam non diſquiram. Cæterum lædi in hoc malo phantaſiam, ejusque cauſam non ſemper eſſe quærendam in ventriculo, docet illud, quod pica laborantes non ſemper edulia impenſius deſiderent, ſed & aliorum ſenſuum objecta: refert namque Clar. Ettmüllerus ex Salmuth obſerv. 63. Cent. 2. Virginem picantem mire delectatam fuiſſe fœtore veterum librorum à blattis & tineis exeſorum, ſituque prorſus corruptorum; unde & totus dies in libros illos naſum immittebat. Similem refert ex ejusdem Auth. Cent. 1. obſerv. 41. de muliere picante & ſummo deſiderio vellicante barbam lanionis.

§. 76. Malum hoc eſt extra periculum, bene namque ipſis cedit quidquid aſſumunt & difficulter ferunt ſi res appetitæ ipſis denegantur, ſi tamen præcipitantibus v. gr. Cretæ, Coralliis, Carbonibus &c. diutius & ultra modum inſiſtant, Ca-

chexiæ insuperabilis fundamenta stabiliuntur.

Ructus.

§. 77. Conqueruntur cachectici imprimis sic dicti hypochondriaci de ructibus, qui copiose erumpunt nunc jejuno ventriculo, nunc inter comedendum, nunc aliquot horis post pastum, qui vel sunt insipidi, vel acidi, vel nidorosi, vel alimentorum assumtorum saporem referunt horum omnium varietas dependet à diversis in ventriculo stabulantibus cruditatibus.

§. 78. Jejuno qui erumpunt ventriculo oriuntur à fermento mora acrius reddito, quod visciditates, quæ tota sua superficie sibi incumbunt, & tanquam ramulis implicitæ hærent, difficulter à se invicem separentur, successu vero temporis, volitante per ejus tubulos materia subtili, ramuli discerpuntur, particulæ acutæ & scindentes capsulis suis evolvuntur, motuque ita vario omnes particulæ concutiuntur, vincula quæque resolvuntur & attenuantur; hinc cum nulla potest fieri particularum attenuatio absque prævia rarefactione, viscidæ illæ particulæ rarefiunt, attolluntur & in vesiculas elevantur, quæ si perrumpunt, ructus excitant.

§. 79. Qui inter comedendum erumpunt ructus, in acceptis refero hominum voracitati. Illi enim ut plurimum malo hoc mulctantur, qui justo avidius in cibos ita involant, ac si omnia uno momento deglutire vellent: sic enim interruptæ sunt inspirationis & exspirationis vicissitudines, copiosiusque inspirant aërem, quam exspirant, qui alimentis immixtus in ventriculum protruditur. Dum itaque in frequenti hac inspiratione (qua alimenta in ventriculum propelli ex Physiologicis constat) diaphragma deorsum propellitur, ventriculus comprimitur, & aër ciborum interstitiis inclusus & à calore rarefactus expellitur, qui sursum elevatus, ructum constituit. Cæterum ut ut illis voracibus omnia fercula non videantur sufficere ad famem suam explendam, in medio tamen prandio subsistunt, eo quod aër in ventriculo à calore expansus & dilatatus ventriculum distendat, qui distentus copiosiorum alimentorum deglutitionem impedit, adeoque, si deglutitionem urgent, anxietates præcordiorum & cardialgiam incurrunt, aut suffocationem imminentem. Verum si ructus copiosi prorumpunt, appetitus denuo redit, & alimenta absque molestia deglutiuntur.

§. 80. Exemplo ratio hujus phænome
ni fiet clarior: Sume vas aliquod anguſt
orificii, quod ſi illud aqua velis replere
aërem prius exhaurire opus habes, ut aqu
liber concedatur introitus: impedit enim
aër vaſi incluſus, quo minus illud aqua re
pleri poſſit, dum motus aëris circularis nul
lo modo propter anguſtum orificium ſub
ſequi poſſit. Aliud adhuc exemplum ad
dam, quod maxime ad rem facit. Qu
operationibus pharmaceuticis aliquand
vel manum ipſi addiderunt, dum infun
dunt liquores per infundibulum, quod ori
ficio recipientis accuratiſſime reſponde
experiuntur; ſi accurate attendunt, liquo
res in deſcenſu ſubſiſtere, imo in ſuperfici
bullulas excitari: nulla alia de cauſa, quam
quod aëri in recipiente recepto & concluſo
motus circularis denegetur, in cujus locum
derelinquendum liquores poſſent ſucce-
dere. Cum vero liquores à premente
athmoſphæra valde premantur, ut reſiſten-
tiam aëris recipiente incluſi ſuperent, tunc
ille per interſtitia aquæ ſurſum propellitur,
eam elevat, ſicque bullulas in ſuperficie re-
præſentat, non aliter ac excitare bullulas
ſolent pueri, aërem per tubulum in aquam
viſcidam inſpirando.

§. 81.

§. 81. Ructus qui aliquot horis post pastum erumpunt, determinatum alimentorum assumtorum saporem referunt, tribuo vel alimentorum viscidita-ti, vel copiæ, vel fermenti inertiæ; hinc particulæ omnes minus moventur, minus attenuantur, & diutius quam par est in ventriculo immutatæ morantur, sicque in pastam lentam, acidam & viscidam abeunt, ex qua deinceps bullulæ elevantur ceu videmus bullulas oriri in superficie liquorum, viscidorum fermentantium.

§. 82. Quam rationem ructuum constituimus, eam quoque flatuum constituimus, eademque opera tacite innuimus inflationis causam; quæ si diu affigat, ventriculi tonus labefactatur, fibræ nimis elongantur, quare alimentorum dissolutio insigne capit detrimentum, & tandem tympanitidis, imo mille malorum non infirma ponuntur fundamenta.

Incubus.

§. 83. Ex his cruditatibus in primis viis collectis oriuntur anxietates præcordiorum & incubus; hunc tamen alii ad morbos capitis, alii ad pectoris morbos, alii ad morbos ventriculi referunt, quo

jure an injuria, videant ipsi. Quandoquidem vero utrumque hic occurrit, merito complicatum hunc affectum esse putamus. Est itaque ille impedita & difficilis respiratio, in specie sufflaminata inspiratio, dormientib9 imprimis in dorso incumbentib9 supervenions, cum somnio ponderis præcordia prementis ac suffocationem minantis.

§. 84. Causa hujus mali est primo compressio cerebelli, quæ fit, ubi supini jacent dormientes: tum enim cerebrum incumbendo cerebello, premit par nervorum vagum, nervosque intercostales, per quos succus nerveus ad musculos Thoracis & diaphragma, excurrere debebat; nunc vero repagulis his objectis diaphragma sursum, deorsum agitari non potest, hinc respirandi difficultas. Utplurimum autem causa hujus mali quærenda in ipso ventriculo; documento nobis sunt infantes justo voraciores, dein hypochondriaci ubi largiori cœna se invitant: hi omnes in hunc morbum propendere solent. Quod si nondum fidem nobis habes, comedas ante somnum castaneas & superbibas vinum fœculentum, sic inter noctu hoc morbo mulctatus, nolens volens in sententiam nostram utroque pede concedes.

§. 85.

§. 85. Cæterum hic incubus solummodo accidentalis est, satis tamen frequens, contingitque, quoties cruditates acidæ vel insipidæ inflatus à materia primi Elementi resolutæ distendunt ventriculum, qui distentus premit diaphragma, impeditque quo minus deorsum propelli possit; hinc difficilis respiratio, anxietates. A quacunque jam causa difficilis illa respiratio proficiscitur, non potest non anima lege conjunctionis illam sentire; unde sic ratiocinantur, quotiescunq; pectori & abdomini pondus aliquod incumbit, toties respiratio læditur, ergo reciproce respiratione læsa pondus pectori incumbere oportet. Sic mens judicando propter motus similitudinem ex motus consuetudine, quam maxime fallitur, adeoque mirum non est, mentem exinde non nisi confusas habere ideas, easque diversimode combinando, nescio quid monstri sibi incumbens & strangulationem minans, imaginari. Sanguis itaque propter impeditam respirationem sale volatili aëreo orbatus, minusq; ab aëris vi elastica expansus in motu suo per pulmones torpet, crassiorque redditur; hinc per cordis thalamos transitum parans, eo quo supra demonstravimus modo, palpitationem parit.

§. 86. In prognosi attende ad causam mali, si illa in primis viis latitat, levioris etiam armaturæ remediis tolli se malum patitur, nihilque plane suberit periculi. Quod si jam altiores radices malum egerit, ipseque succus nerveus inquinatus, nervique intercostales aut paralysi aut spasmo affecti sint, periculum est, ne in epilepsiam, paralysin, catharrum suffocativum, vel subitaneam mortem degeneret.

Passio hysterica.

§. 87. Præterea ex his cruditatibus acidis & viscidis in primis viis stabulantibus passionem hystericam seu hypochondriacam deducimus. Est tamen hic affectus valde complicatus propter diversa eum concomitantia symptomata, nunc graviora, nunc leviora, nunc plura, nunc pauciora; ita ut omnia fere abdominis symptomata in hoc morbo combinata diceres.

§. 88. Qui hoc malo corripiuntur ante paroxysmum sentiunt murmura & borborygmos in abdomine, hypochondriorum distensiones, tensiones & dolores, nunc lancinantes, nunc contorquentes, qui utplurimum sunt vagi; anxietates insignes, nauseam, quam vomitus excipit, eoque acida, bilem æruginosam & pituitam spumantem copiose rejiciunt, idque vel ante

pa-

paroxysmum, unde omnia durante eo mi-
tius affligunt symptomata, vel sæviente pa-
roxysmo & tunc incipiunt omnia remitte-
re. Percipiunt motum alicujus globi, qui
ab infimo ventre per varios gyros & anfra-
ctus sursum movetur, ac tandem fauces re-
plet, easque obturat, ut nobis referre so-
lent. Præcedunt etiam oscitationes ac
pandiculationes, difficilis respiratio, adeo
ut fauces laqueo constringi ipsis videantur.
Vertigo cum obnebulatione, tandem hu-
mi prosternuntur, pulsus est parvus & debi-
lis, imo sensum interdum fugiens; unde et-
iam lipothymiæ. Comitatur has furias non
raro epilepsia, quæ tamen primario abdo-
men ac thoracem corripit, delira loquun-
tur, ac iisdem symptomatibus affliguntur,
quibus epileptici nonnulli corripiuntur.

§. 89. In paroxysmo in ejulatus erum-
punt, ac calamitatem suam deplorant; un-
de tandem lachrymis erumpentibus paro-
xysmus solvitur. In principio frigent, tan-
dem tamen incalescunt, & sudor erumpit,
qui paroxysmi solutionem spondet. Fini-
to jam paroxysmo omnia quæ evenerunt
in memoriam sibi revocare possunt, ac ne-
sciunt, quibus verbis symptomatum affli-
gentium invasionem, varietatem ac muta-
tio-

tionem satis distincte explicent; unde mira sæpe audies: quilibet enim sensu suo abundat.

§. 90. Est itaque affectus hic ipsissima Cachexia, in quo omnia fere Cachexiæ symptomata, quorum jam supra mentionem fecimus & imposterum facturi erimus, compilata videas. Male tamen accusatur uterus, quem in hoc morbo defunctis illæsum deprehenderunt Medici non pauci; imo situs ejus & firma cum vicinis partibus per ligamenta connexio remotionem impedit: dein nulli parcit sexui, imo nulli ætati, adeo ut puerorum epilepsia interna, de qua supra egimus, ipsissima sit passio hysterica. Postquam autem Clariss. Franc. Sylvius humorum acrimoniam & Clariss. Willisius morborum convulsivorum elucidationem nobis tradiderunt, longe elegantius hujus morbi Theoria succincta traditur.

§. 91. Oriuntur itaque murmura & borborygmi abdominis, distensiones & tensiones hypochondriorum ab humore viscido & acido, qui ut supra explicavimus resolvitur & in flatus elevatur, & hinc inde in intestinis oberrat, eaque mirum in modum distendit. Distensiones illæ utplurimum

mum ſunt in hypochondriis, quia ibidem copioſiſſimæ accumulantur cruditates ex vitioſa primarum viarum digeſtione. Evenit tamen aliquando, ut corpus aliquod in molem elevatum inſtar tumoris in hypogaſtrio ſentiatur, qui utplurimum fixus manet, non raro tamen aliam partem occupat, ac interdum diſparet. Tum mulierculæ nunc uterum nunc aliud viſcus male affectum accuſant. Nobis autem ea manet animo ſententia eſſe hunc tumorem nihil aliud quam tympanitidem particularem, hanc vel illam inteſtinorum partem occupantem, qualem etiam in ventriculi inflatione obſervamus, ac proinde eandem utriusque cauſam eſſe putamus.

§. 92. Non tamen hic excludimus convulſiones, quibus partes infimi ventris convulſæ in molem agglomerantur, ut nec tangenti cedere, nec à diaphragmate deprimi, nec à muſculis abdominis comprimi posſint. Has convulſiones arguunt plurima ſymptomata concomitantia, ut I. dolores abdominis lancinantes & contorquentes Colicæ convulſivæ nomine venientes. II. Faucium conſtrictio & motus globi alicujus per varios gyros & anfractus aſcendentis & gulam obturantis, quæ ſymptomata oriun-

oriuntur ab intestinorum aliarumque vicinarum partium per consensum nervorum convulsione: Dum enim ab œsophago ad anum usque est una continuata fistula, cujus tunicæ à pari nervorum octavo surculos nervaceos accipiunt, qui convulsi & spasmodice contracti, quicquid iis annexum & cum iis communicat, retrahunt, comprimunt & constringunt; unde anxietates, palpitatio cordis, syncope, nausea, eamque insequens vomitus, vertigo, nec non motus epileptici, quorum omnium originem ex primis viis supra suo loco distincte deduximus. Vide pluribus de hoc malo egregie disserentem Clariss. Tilingium studiorum meorum commilitonem exoptatissimum in Dissertatione sua Inaugurali ad diem 8. 18. Decemb. superiori anno Lugd, Batav. habita.

§. 93. Sed cur paroxysmus abrumpitur, si in ejulatus & lachrymas erumpunt, nec non sudor copiose prorumpit? Putamus hic convulsiones abdominis remittere; unde anxietates tolluntur, & respiratio liberior redditur, qua viscera abdominis sursum retractæ contrario motu deprimuntur, ut instar molis diaphragmati non amplius incumbant; dein dum in ejulatu

latu largius inspirant, sanguis grumosus & in præcordiis stagnans ab aëris vi elastica in circulari suo motu per pulmones ac per totum corpus propellitur, resolvitur, rarescitque; unde calor redit, humores in extremis partibus stagnantes & accumulati iterum protruduntur; qui cum tam prompte ad cor redire aut condensati insensibiliter transpirare non possunt, sub forma sudoris, aut lachrymarum erumpunt, sicque transpiratio antea impedita, sensim sensimque restituitur.

§. 94. Ad malum hoc præter causas Cachexiæ generales disponit odor Moschi, Zibethi, Ambræ aliorumque suaveolentium, cujus phænomeni rationem supra innuimus, ubi de Syncope egimus. Nonnunquam tamen contrarium venit dum graveolentia alii perferre non possunt, quibus tamen alii refocillantur: ut de rustico quodam fert fabula, qui ante limites pharmacopoeæ syncope correptus fimo equino digno suis naribus balsamo refocillatus ad se rediit. In eo itaque mira est subjectorum varietas, quam Medicus perspectam habeat necesse est.

§. 95. Prognosin facimus talem, quo plura & graviora simul affligunt symptomata,

mata, eaque longius durant, malum. Si minus contra: est enim raro lethale. Puerperis & prægnantibus longe periculosius est, quam virginibus, maribus aliisque mulieribus. Si à sternutatoriis, Spir. Salis armoniaci, aliisque volatilibus sternutent, aut ad se aliquantulum redeant, bonum est.

Hydrops.

§. 96. Non infimus Cachexiæ gradus est hydrops, qui est collectio aquarum in quacunque parte corporis, quam tumor cum mollitie insequitur: Nunc autem ille est universalis qui totum corpus occupat, illudque tumefacit, diciturque anasarca; nunc particularis, qui hanc vel illam partem occupat, ac pro partium varietate diversa ac specialia sortitur nomina. Sic si aqua in capite colligitur dicitur hydrocephalus; in pectore hydrops pectoralis; in abdomine hydrops ascites. In scroto hydrocele. Denique tumor totius corporis œdematosus aut pituitosus leucophlegmatia dicitur. Curiosa est illa hydropis observatio in ovario, cujus mentionem facit Clarissimus Nuk, in Adenographia curiosa capite octavo.

§. 97. Ad hunc morbum disponunt omnes supra memoratæ causæ, quibus Cachexiam in acceptis retulimus, tum quoque digi-

digito ſupra de Febribus innuimus malum hoc non raro oriri poſt male curatas febres, præſertim ſi julapiis, refrigerantibus, purgantibus, venæ ſectione aliisque truculentis remediis tractati fuerint miſeri patientes. Accuſamus itaque in hydrope ſanguinem viſcidum, tardius circulantem, qui ad arteriarum extremitates delatus deponit ſuccum nutritium & lympham ſuam craſſam viſcidamque, quæ ſi lento paſſu per vaſa lymphatica ad cor redit, ſenſim ſenſimque accumulatur dum interim alii humores à tergo accedunt, qui tranſitum urgent, ſed imbecillem, eo quod minori impetu ſanguis ex corde proſilit, qui antecedentem in vaſis ſuis minori vi propellit; hinc ille non niſi longo temporis intervallo ad cor redit. Atque hac ratione lympha & ſuccus nutritius tardius per vaſa ſua feruntur, quæ diſtendunt, totumque corpus tumefaciunt. Præterea hac tubulorum diſtenſione, vaſa dum mirum in modum expanduntur, tonum ſuum perdunt, & valvularum conſtrictio, quæ humorum circulationem multis modis promovet, non parum læditur. Atq; ſic leucophlegmatia oritur, in qua humores non ſunt extravaſati, ſed in tubulis ſuis adhuc contenti, tardius ſaltem circulant.

Tandem tamen accumulatis humoribus vasa rumpuntur, quæ rupta lympham suam effundunt.

§. 98. Ratiociniis nostris lucem fœnerant experimenta Loweri de Corde, qui cum canis venam cavam infra cor ligasset, brevi post abdomen aqua repletum erat, ut hydropem ascitem simularet; ligatis autem venis jugularibus, tumor in capite exortus erat hydrocephali instar. Causam facile est divinare, si ea, quæ modo dicta sunt, attentius considerantur. Impedito enim per venas sanguinis motu plus humoris advehebatur per arterias, quam revehi poterat; hinc accumulatis humoribus vasa distendebantur.

§. 99. In quacunque autem parte corporis vasorum lymphaticorum ruptiones oriuntur, hydrops diverso nomine indigitandus provenit. Sed cur infantes utplurimum hydrocephalo sunt obnoxii? Rationem hanc damus: primo enim istiusmodi infantes à matribus cachecticis nati, viscosum lentumque sanguinem habent, qui adhuc viscosior redditur, dum eodem lacte cachectico nutriuntur; dein cerebrum theca ossea tegitur, quæ in suturis adhuc dehiscit, cutis & cuticula teneræ molles-

mollesque sunt, deficiunt capilli, quibus ab injuriis aëris præmuniri possint. Quod si jam caput aëri frigido exponatur, aut integumentis frigidis tegatur lympha ad coagulationem proclivis subsistit instar jusculi vitulini; unde tandem vasa tenella, quæ humorum stagnantium pressioni resistere non potuerunt, rumpuntur lymphaque extravasatur: Sunt enim nonnullæ mulieres, quæ si à Medico hortantur, ut studiosissime aërem frigidum à tenellis suis arceant, nasute regerunt, nolo ego meos infantes adeo scrupulose educare: à teneris namque assuescere multum est. Scite lepideque dictum, si diis placet. Nostine nasutula multos esse, qui castra sequuntur, & ad imperatoriam dignitatem aspirant; quam plurimi autem longe infra eam subsistunt dum hosti succumbunt, vitaque eorum fugit indignata sub umbras.

§. 100. Dividitur hydrocephalus in internum & externum; hic facile, ille autem difficulter cognoscitur, est tamen admodum frequens, qui majorem hominum stragem edit, quam quidem creditum est hactenus.

§. 101. Imminentem hydropem præsagi-

ſagiunt tumores pedum præprimis circa talos, qui impreſſam digitis foveam aliquandiu retinent: tandem tamen, dum radices malum agit, ulterius ſerpit & abdomen verſus pedetentim aſcendit; inguina primo, dein totum abdomen occupat. Rationem hanc damus, quod extrema corporis magis injuriis aëris ſint expoſita; dein cum ſanguis lente effervеſcit, facile in extremis partibus injuriis aëris ſuccumbit, denique quia longius à corde extrema ſunt remota, ſanguinis impetus in iis languidior eſt, qui antecedentem alacriter in venas propellere debebat, velut unda undam; hinc humorum circulus ſenſim ſenſimque brevior & languidior redditur, ſicque tumor pedetentim aſcendit.

§. 102. Ingraveſcit autem malum ingruente nocte, quod primo aër reddatur craſſior; hinc ſanguis ab eo minus expanditur, rarefitque: ſecundo in vigiliis magna fit jactura particularum volatilium, humores fiunt acriores, craſſioresque quapropter tardius per vaſa ſua volvitur ſanguis, tranſpiratio impeditur, omniaq; membra quovis pondere ſunt graviora. In ſomno autem particulæ acriores temperantur, & ſubtiliores redduntur; hinc tranſpiratio augetur,

tur, sanguinis circulus liberior fit, quare post somnum toto leviores corpore evigilant, & tumor sensibiliter imminuitur.

§. 103. Asthmate gravissimo quoque cruciantur, quod equidem à tumore abdominis oriri videtur, ast non semper: est enim non raro convulsivum, præprimis cum conqueruntur de anxietatibus, ac si cingulo hypochondria constringerentur: rationem hujus symptomatis supra tradidimus.

§. 104. Sitis valde est molesta, adeo ut verum sit illud Poëtæ: Quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ: Cum enim cor, quos effuderat succos in totum corpus, mox illos, exceptis nonnullis recipiat oportet, quibus denuo omnia membra perfundantur & irrorentur. Quid mirum itaque cum lympha aliorsum se effundit, sanguinem exsiccari, glandulas salivales obstrui, ac sufficientem salivæ copiam in os suppeditari nullo modo posse?

§. 105. Alvus nunc adstricta, nunc quod melius, laxior existit. Urina est suppressa, pauca, & intense tincta. Horum phænomenorum causam ex supra dictis facili marte derivari posse persuasus sum.

§. 106. Conqueruntur non raro de pruritu intolerabili: Lympha enim extravasata,

ta, mora acrior redditur & urinosam seu muriaticam acquirit acrimoniam, quæ titillando leviterque rodendo tenuissimas fibrillas nerveas, ac si totidem aciculis pungerentur, intolerabilem hunc pruritum producunt, qui tandem in inflammationem, abscessum aut gangrænam desinit.

§. 107. Prognosin quod attinet paucis absolvamus. Si appetitus viget, alvus aperta, urina à medicamentis mutatur & promovetur, facile sudor erumpit, sitis non admodum intensa, & à potu restinguitur, membrorum agilitas, respiratio liberior bonum est signum. Sin minus contra. Hydrops à perverso usu medicamentorum rectius venenorum, V. Sect. Purgantibus &c. ortus non omni periculo destituitur. Qui notabilem visceris alicujus labem habet comitem, lethalis illa maculæ nec non abscessus in pedibus si erumpunt lethales sunt, gangrænæ namque imminentis indices sunt certissimi.

Mensium vitia.

§. 108. Occurrunt jam vitia menstruorum ex fonte cachectico itidem derivanda. Quod ut appareat clarius, ex Physiologicis notum esse suppono, mensium fluxum incipere circa annum 14. nunc tamen si puellæ sunt alacriores, salaciores & diæta

diæta laudabili utuntur, citius florem suum menstruum videre ac illas, quæ contrario modo educantur. Desinit autem fluxus ille anno ætatis 48. quanquam ob prædictas rationes nunc ultra nunc infra hunc terminum subsistat. Dum itaque puellæ primo hunc fluxum patiuntur, pubertatis annos attingunt, id est, omnia fermenta redduntur subtiliora & sanguis tanta quantitate abundat, quanta non solum ad corpus suum, sed & ad fœtum nutriendum sufficit: mammæ primo menstruationis anno magis crescunt, quam reliquis annis præcedentibus, vox fit gravior, venere divexantur, amplexusque ab eo tempore exoptant dulcissimos. Verbo in flore ætatis suæ sunt constitutæ, forma redditur elegantior, omnia organa firmantur, & ad perfectionem suam perveniunt; hinc non possunt non omnes in corpore secretiones felicius peragi, omniaque fermenta subtiliora & magis activa reddi.

§. 109. Ob eandem quoque rationem organa ovarii firmiora redduntur, per quæ ex sanguine secernitur fermentum aliquod, quod per vasa lymphatica (quorum infinitum numerum ex ovario prodeuntium nobis ad oculum jucundo spectaculo de-

monstravit Clariss. Nuk) in massam sanguineam revehitur, hanc motu intestino agitat, blandamque particularum fermentationem intendit; unde vasa expanduntur, mammæ intumescunt, amore æstuant, ac nullo tempore sunt salaciores; aliis caput dolet, aliis crura intumescunt, adest lassitudo membrorum, hæmorrhagia narium, pica, dolor pulsatorius circa lumbos, aliaque symptomata, affligunt, quæ tamen cachecticis & scorbuticis familiaria sunt. Dum itaque sanguis à fermento illo expanditur, exitum sibi parat, vasa perrumpit, ac per pudenda effluit.

§. 110. Quare autem vasa potius in utero, quam alibi locorum corporis rumpantur, sequentem damus rationem. Ajunt fœminas nunquam esse salaciores, quam instante fluxu menstruo: eo quod sanguis aliique circa uterum effervescentes, humores titillant nervos; quem motum, dum certa in mente insequitur cogitatio, & hanc iterum nova motus determinatio, succus nervosus ocyus ruit ad vasa uteri. Quemadmodum enim sapientissimo microcosmi & macrocosmi architecto placuit certam vellicationem faucium sitim insequi, eodem voluit modo certam uteri titillationem certam ali-

aliquam voluptatem veneream insequi, quam iterum sequitur determinatio succi nervosi, ad uteri potius vasa, quam ad ulla alia: non aliter, ac viso ferculo nobis grato, lympha crystallina potius ex salivæ ductib9 rivulose prosilit, quam ex ullis aliis. Quibus ita se habentibus, dum succus nervosus copiosius irruit in vasa uteri, succum nutritium attenuat, eumque in vasa uteri adigit; unde ea magis nutriuntur, & quæ antea serpentino ductu perambulabant uterum, nunc in rectilineum expanduntur cursum, nonnullæq; arteriæ ex fundo uteri propullulant. Quod si vero nullus accedat fœtus, ut placenta ex his arteriis propullulantibus una cum fœtus arteriis itidem propullanti-bus formetur, sanguis effluit, qui fluxus per aliquot durat dies, donec evacuato multo sanguine effervescentia menstrua remittat, oscula & extremitates arteriarum iterum concidant, flaccescant, & à propullulatione illa resiliant. Verum redeunte effervescentia menstrua, vasa non solum expanduntur, sed & copiosius iterum nutriuntur; quare vasa uteri non tam ampliora, quam carnosiora reperiuntur, quibus si arteriæ foet9 iterum non accesserint, denuo menses fluunt, idque singulis mensibus, donec fœmina

mina imprægnata ex arteriis illis menstruatim propullulantibus placenta efformetur, in quam sanguis continuo deferatur & fluxum illum tollat; adeo ut fluxus ille non aliunde oriatur, quam quod fœmina non sit gravida, imo illæ nunquam fluxum illum paterentur, si continuo gravidæ forent.

§. 111. His ex Physiologicis præmissis, facilius erit indagare menstruorum vitia. Primum itaque vitium est, dum emanent: Attendendæ autem sunt mulieres in quibus naturaliter emanere solent. Sic I. gravidæ raro hunc fluxum patiuntur; utut nonnulla exempla prostent earum, quibus ad medium usque gestationis tempus naturaliter fluere solebant. II. Lactescentes, quæ utplurimum eorundem habent defectum. III. Illæ, quibus sanguis aliorsum, quam ex utero effluit; quanquam hic vitium cachexiæ vel scorbuti jam subesse solet. IV. Vetulæ, quibus post annum 48. plane emanere solent.

§. 112. Ad mensium itaque emansionem disponunt omnes illæ causæ, quibus cachexiam ortum suum debere supra demonstravimus: sanguis enim acidus, viscidus & particulis volatilibus depauperatus

tus minus effervescit, fermenta tenacia minusque activa ab eo separantur, quæ sanguini iterum commixta, minorem activitatem ipsi conciliant; hinc si fermentum ex ovario deficit, propter ejus obstructionem, vel si ab activitate sua recedit, menstrua effervescentia remittit, cujus tamen singulis mensibus aliquem conatum experiuntur, sed imbecillem; majorem autem illum animadvertunt, si vitio vasorum uteri mensium emansio accidit, quare tum sanguis per alia loca effluit.

§. 113. Mensium emansio cachecticam corporis dispositionem indicat, imo illam reddit confirmatam, non tamen propterea, quod sanguis ille non effluat, ut nonnulli volunt, sed quia sanguinis effervescentia remittit, cujus fluxus ille inevitabile est consequens; unde omnia illa symptomata portendit, quorum cachexia fœcunda mater existit.

§. 114. Alterum mensium vitium est fluxus nimius, quando frequentius & copiosius fluunt, nec debitum observant tempus menstruum. Observandum tamen fluxum hunc naturaliter augeri in iis, quæ diæta laudabili utuntur & quæ sunt vege-

getiores & ſalaciores; unde ſanguis magis efferveſcit, ſuccus nervoſus crebrius influit, & largiorem fluxum efficit, prout in præcedentibus demonſtravimus; atque hic fluxus curandus non venit, niſi nimius ſit & virium jactura aliaque ſymptomata ſuperveniant, quæ fluxum nimium ex cachexia ortum preſſo pede inſequi ſolent.

§. 115. Ad præternaturalem menſium fluxum diſponit ſanguis cachecticus acido-viſcidus, qui à menſtrua fermentatione in motum concitatus uteri vaſa erodit, eodem modo, ac hæmorrhagiam ſupra oriri diximus, adeoque eandem utriusque cauſam eſſe putamus.

§. 116. Nimius menſium fluxus idem portendit periculum, ac quæcunque ſanguinis evacuatio nimia.

§. 117. Tertium menſium vitium eſt, quando debito loco non effluunt, v. gr. per nares, anum, vomitum, aut loco ſanguinis alia aliqua materia effluit. Sic ſi ulcera aut vulnera habent, ea tempore ordinarii fluxus copioſum pus ac ſaniem ſtillant. Cauſam ſi quis rogat, ea tantum conſideret, quæ ſupra attulimus, (§. 109.)

§. 118.

Fluor albus.

§. 118. Præterquam quod mensium vitiis cruciantur mulieres, alius adhuc fluxus frequens ipsis est, qui fluor albus dicitur. Parcit hic nulli ætati, corripit puellas veneri nondum sacratas, maritatas, menstruosas, gravidas, imo etiam vetulas. Nunc fluxus ille mitis est, ac parcius fluit absque incommodo, idque primis fere annis; materia quæ effluit est alba, chylosa, inodora, successu tamen temporis, dum materia acrior redditur, flavescit, nigrescit, virescit, ac interdum, quamvis raro, fœtet; tandem genitalia erodit, excoriatque. Nullum fluxus hic observat typum, etsi nonnullis temporibus copiosius fluit, præprimis si lauta diæta utuntur, venere inardescent, nec non tempore ordinarii mensium fluxus: tum enim major est in sanguine effervescentia, succus nervosus copiosius influit, vasa expanduntur & humorum secretio promovetur.

§. 119. Causam hujus fluxus nobis detexit Clariss. Regnerus de Graaf. demonstravit namque meatum urinarium ubique esse circumdatum substantia membranacea, glandulosa, analoga prostratis glandulosis virorum ex quibus per ductus peculiares qui hiant in orificium uteri, defertur

tur materia limpida, quæ titillationem & voluptatem in coitu efficit, haud absimilis liquori glandularum prostratarum in viris, imo tota vagina uteri innumeris glandulis est obsessa, quæ in eundem usum liquorem limpidum exspuunt.

§. 120. Ex his itaque glandulis copiosa illa materia chylosa effluit, quæ ortum suum trahit primo ex laudabili diæta, vita sedentaria, ac nimia salacitate, præprimis si à maritis ipsis non satis fit, aut si concubitum celebrare non licet, quem tamen maxime exoptant; unde mitis ille fluxus solet esse absque gravi molestia, corporisque notabili Cachexia. Progressu tamen temporis malum incrementum sumit, ubi fluxus ille diutius durat, sanguinem multis particulis volatilibus, chylosis & balsamicis depauperat, eumque crassum, viscidum & acidum reddit; unde materia effluens acrimoniam acidam contrahit, qua glandulas divellit, earumque structuram destruit, qua destructa, continuo talis materia chylosa, acris & corrosiva effluet, quæ genitalia excoriabit, ac tandem innumeram exiguarum fistularum copiam producet.

§. 121. Prognoſin quod attinet ſi fluxus ille à nimia ſalacitate oriatur, vix malum portendit, qui autem ex Cachexia oritur mille incommoda parit. Si exulceratio gangrænam infert, lethale. Si diutius duravit, difficulter, imo nunquam penitus tollitur, præprimis ſi partes exulceratæ in fiſtulas degeneraverint.

§. 122. Fluori albo valde analogus eſt fluxus Gallicus; niſi quod in hoc materia effluens ſit magis corroſiva & ad naturam aquæ fortis accedat; unde omnia ſymptomata ſunt graviora, ulcera ſaniem plorant, cum inſigni cruciatu & moleſtia.

§. 123. Ordinis jam ratio poſtularet, ut filum hunc de morbis mulierum cachecticis proſequeremur: verum cum ingens eorum ſit phalanx, ut dies nos deficeret, ſi omnium numerum in ſcenam producere vellemus, eorumque ſuccinctam tradere rationem: non enim hic nobis præſumſimus, ut omnes omnino morbos qui occurrere ſolent in ſcenam produceremus, cui operi præſentes pagellæ non ſufficerent, ſed animus nobis ſaltem eſt demonſtrare, quam multa ab uno eodemque ſanguinis vitio produci queant ſymptomata. Ideam hic ſaltem proponimus, non opus omnibus

nu-

numeris absolutum; quare hic filum resecamus, cui tamen aliquando ea annectemus, quæ ad continuationem ejus spectare possunt; imo si securum mihi otium, quale inter turbas bellicas sperare unquam licebit, procuraverint fata, morbos mulierum ac infantum eadem methodo dispositos publici juris faciam.

Calculum renum & vesicæ.

§. 124. Occurrunt jam vitia urinæ nobis indaganda. Sanguis per arterias renales ad glandulosam renum substantiam delatus ulterius propellitur, donec pervenerit ad angustissimos illos canaliculos; qui cum diversæ sint figuræ & magnitudinis diversas quoque particulas suscipere apti nati sunt, quæ in pelvim, tandem in vesicam deferuntur, urinamque constituunt. Reliqua vero massa, cujus particulæ aliam præ se ferunt configurationem, per amplas vias, venas scilicet transmittitur. Cum itaque ex sanguine natales suos derivat urina, necessario illius indolem sequi cogitur, adeo ut si sanguis vitium contraxerit, illud quoque ad hanc serpere debeat. Sic viscida, turbida, cruda, aquea aut intense salibus saturata ejusdem quoque furfuris sanguinem indicant illiusque non obscura præbent testimonia.

§. 125. Sanguis itaque cachecticus acido-viscidus ejusdem quoque indolis urinam in renibus deponit, quæ lente per ejus tubulos meando hinc inde hæret & obstructionem parit, dum interim particulæ flexiles, lubricæ, anguillares, quæ se ad omnes viarum angulos angustiasque accommodare possunt, à crassioribus, irregularibus, acidis & viscidis separantur, hæ involucris & portatoribus suis quibus cinctæ & in renum tubulos propulsæ erant, destitutæ, concrescunt & cum salibus in urina contentis crystallisantur; ceu videmus salia crystallisari & cumulatim sibi in loco frigidiori incumbere, si particulis flexibilibus privantur, quarum motu dividebantur, & à se invicem distinguebantur.

§. 126. Facile mihi hanc salium in urina crystallis tionem concedet quisquis considerat sanguinem cachecticorum primo multis particulis acidis, viscidis & irregularibus esse obrutum. Secundo harum particularum nexum non esse intimum propter imminutam particularum effervescentiam, qua crassiores digeri exaltari & in minimas particulas diffringi debebant, ut fluidiorum, volatilium, aliarumque mo-

T tum

tum rapidum veloci fuga insequi, eorumq; poris innatare possent, quare urinæ cachecticorum aliam vix habent particularum connexionem & cohærentiam qualem liquores turbidi & fœculenti, qui per subsidentiam facile depurantur, dum crassiores ex fluidiorum amplexibus ruunt; unde est, quod urinæ cachecticorum turbidæ excernantur adeoque in ipsis renibus aut vesica, particularum divortium jam fecerint, imo non raro aquea est urina præprimis in paroxysmis nephriticorum, quæ tamen post eum turbida fœculentaque excernitur.

§. 127. Dum itaque particulæ crassiores, irregulares, acidæ & viscidæ in tubulis renum hærent, aliis à tergo accedentibus impedimento sunt, quo minus illæ pedem ulterius promovere & in pelvim depluere possint: flexiliores enim quam facillime se extricant & motu suo anguillari & lubrico viam sibi parant, crassioresque deserunt; hinc illæ sibi invicem incumbunt, & pro diversa particularum suarum magnitudine & figura diversimode sibi cohærent, ac corpus aliquod constituunt, nunc magis, nunc minus solidum, prout pori plus minusve intorti & irregulares ex particularum combinatione exsurgunt.

§. 128. De generatione calculi agere non posse videmur, nisi quo modo & qua ratione corpora cohæreant, expediverimus. Quanquam omnium particularum figuras persequi nec hominis nec unius paginæ sit, fingere tamen licebit, duo corpuscula lævem & politam superficiem habentia, quæ simul sibi invicem occurrunt, ita ut in superficie se contingant excluso & retropulso aëre firmiter cohærent, corpusque solidum & durum efficiunt. Prout ergo secundum omnem superficiem, aut in aliquibus saltem punctis se contingunt, hæc soliditas major minorve est. II. Corpora inter se cohærent, ubi unculis & brachiolis suis se invicem complectuntur. Hi ramuli varias agnoscunt figuras, nunc enim crassi, nunc subtiles, nunc rigidi, flexiles, rotundi, triangulares, asperi existunt. Qui crassos, solidos, brevesq; habent ramulos solida admodum & glutinosa constituunt corpora, qualia sunt gluten, pix, resina. Ubi vero ramuli sunt longiores, rotundiores, qui sensim sensimq; in extremitate attenuantur, viscida quidem, sed fluidiora corpora efficiunt, quod istiusmodi ramuli horsum vorsum inflecti & agitari possint ut Terebinthina, oleum, butyrum. III. Dantur & alia corpuscula neque

polita neque ramosa, sed solida, rigida, friabilia, aspera & inæqualia, quæ ex combinatione particularum rigidarum v. gr. salium &c. oriuntur, atque ita societatem quandam cum aliis ineunt & cohæsionem, fitque hoc variis modis, prout magnitudine, longitudine, crassitie, rigiditate, asperitate inter se variant particulæ.

§. 129. Atque hæc & adhuc infinita alia sunt vincula, quibus corpora cohærere possunt; ex quibus facile est divinare, qui generatio calculi procedat: facta enim obstructione in tubulis renalib9 à particulis salinis acido-viscidis & irregularibus, aliæ semper accedunt, quæ molem illarum augent; unde primo arenulæ varii coloris, duritiei figuræ & magnitudinis generantur, quæ progressu temporis, dum ex tubulis renalibus protruduntur in pelvim, ureteres & vesicam, augmentum sumunt, & calculum non raro stupendæ magnitudinis efficiunt. Memini me Lugd. Batav. in Collegio Anatomico Præside Clariss. Nuk, vidisse institutum sequens experimentum, quod ad generationem calculi quam maxime facit: Demonstraturus namque in cane vulnera vesicæ non semper esse lethalia, eam aperuit, ac bacillum ligneum immisit, quem elapsis duobus

bus mensibus iterum incisa vesica quæsivit, eumque elegantissimis crystallis albicantibus densissime incrustatum invenit; vide Experimentum hoc notatum in ejus adenographia curiosa capite septimo.

§. 130. Qui itaque calculo renum laborant, sentiunt in regione lumbari dolorem gravativum, acutum & lancinantem, præprimis si calculus ex pelvi in ureteres adigitur, remittunt tamen atrocissimi dolores, si ille iterum relabitur. Interdum dolor est tensivus cum insigni anxietate superveniunt convulsiones, quas à vertebris lumbaribus sentiunt ascendere & caput petere. Vomitus, nausea, anxietates præcordiorum, hypochondriorum tensiones, familiaria sunt symptomata. Retrahuntur sæpissime testiculi ad os pubis usque & in fœminis dolores sunt atrocissimi, qui partus doloribus sunt similiores, quam ovum ovo. Affligit colica convulsiva, ita ut illa non raro hunc morbum mentiatur, qui tamen facile distinguitur, si aliorum symptomatum simul affligentium habeatur ratio. Hinc adest in calculosis stupor crurum, qui oritur ab atritu musculi Psoas renibus succumbentis & in crura descendentis. Adest simul incurvatio corporis, & absq; notabili cruciatu se erige-

re non possunt, fixus quoq; manet circa vertebras dolor, qui etsi in colica convulsiva etiam affligat, utplurimum tamen ille vagus est. Denique urinæ aliam præ se ferunt faciem.

§. 131. Oriuntur hæc symptomata ab attritu calculi, quo ille fibras nerveas pelvis & ureteris acutissimo sensu præditas fricat & atterit easque convellit, quæ convulsæ alias iterum per consensum affligunt, cum à pari nervorum octavo, tanquam à communi trunco ramificationes accipiunt. Non tamen prædicta symptomata semper ab attritu calculi oriuntur, cum non raro acrimoniæ urinæ ejusque impedito motui sint imputanda; unde similiter fibræ vellicantur & spasmodice contrahuntur.

§. 132. Urinam si inspiciamus, ea sæpissime variat. In paroxysmo pauca solet excerni nunc guttatim cum insigni rosione, nunc sanguine mixta, nunc intense rubra, ac si sanguinea esset, quæ tamen ab admixto copioso sale oritur; nunc supprimitur, nunc tenuis excernitur, post paroxysmum tamen turbida & mucosa. Arenulæ excretæ, si statim fundum petunt, calculi præsentiam, aut saltem ejus rudimenta ponenda indicant.

§. 133. Prognosin sequentem facimus.

Si

Si urina liberius excernitur cum copiosis
arenulis, indicium est calculum comminui,
imprimis quando tenuis & aquea antea fue-
rit excreta. Quo symptomata sunt plura
eaque graviora, eo periculosior res est. Sic
si ischuria diuturna cum convulsionibus &
syncope superveniat, lethale. Inflamma-
tio & suppuratio renum periculosa. Raro
hic curatur affectus hæreditarius & invete-
ratus, præprimis in senibus, nec non si cal-
culus major fuerit.

§. 134. Non solum renes calculo affligun-
tur, sed & vesica, in quam ex pelvi per urete-
res descendunt lapilli vel arenulæ, quæ sibi
invicem mutuis superficiebus incumbendo
in ea augmentum sumunt, prout de calculo
renum paulo ante demonstravimus. Sym-
ptomata ergo quæ habent concomitantia,
sunt sequentia. Sentiunt atroces dolores
ante excretionem urinæ, dum calculus ex
vesica una cum urina propellitur in collum
vesicæ, quod obturat & urinæ excretionem
impedit. Penis erigitur ex spasmo musculo-
rum erectoriorum vulgo dictorum, qui ve-
nam penis comprimendo sanguinis mo-
tum impediunt, dum interim per arteriam
novus advehitur sanguis, qui accumulatus
corpora nervosa distendit, sicque erigit. Si

erecto corpore urina supprimitur, pedibus vero ad os reclinatis ea liberius redditur, certus esto de calculi præsentia, quanquam nec hoc sit universale: calculus enim non raro vesicæ adnascitur & communi quasi membrana involvitur. Interdum sentiunt in glande titillationem & dolorem atrocissimum, ut calculum ibidem hærere putent. In consensum trahitur anus & tenesmo affligitur, imo interdum inter mejendum.

§. 135. Crudele malum est calculus, cum nullis remediis auscultat, nisi sectioni, imo etiamsi operatio illa optimo cum successu fuerit instituta, quod tamen non semper accidit, dum inflammationes vesicæ ulcera uretræ ac incontinentia urinæ remanent, renascuntur, nisi sanguis cachecticus emendatus fuerit. In viris difficilius curatur, quam in fœminis, cum hæ uretram habent breviorem & ampliorem.

Ischuria. §. 136. Alia jam sunt consideranda symptomata urinam spectantia, quorum non infimum est ischuria. Duplex illa est renalis & vesicalis, quæ tamen facile distinguuntur. In illa enim vesica vacua est urina, dum immisso in eam cathetere nulla extrahitur urina, ac nulla circa regionem pubis observantur symptomata, qualia sunt distensio ac tu-

tumor vesicæ, nec non illa, quæ calculum vesicæ insequi solent, imo omnia observantur circa regionem lumbarem. Oritur itaque ischuria dum urina non secernitur, aut secreta non excernitur.

§. 137. Variæ autem sunt causæ, quæ urinæ secretionem aut ejus excretionem impediunt: quarum prima quærenda est in sanguine, qui dum crassior & viscidior est, segnius effervescit, ac proinde particulæ aquosæ minus à sanguinis compage liberantur, ac excluduntur, ceu in regulari effervescentia fieri debebat; hinc renum tubulos trajicere impar, per venas iterum redit, nullamque deponit urinam. Altera causa quærenda in ipsis renibus, quorum tubuli si compressi, vel à quacunque materia, vel arenulis, pituita, vel pure obstructi fuerint, cessat per eos urinæ secretio. Sic vidi Lugd. Butav. in Theatro Anatom. magno renes intra quinque dies ischuria defuncti, in quorum superficie copiosæ hydatides eminebant, ac tota substantia innumeris arenulis erat obsessa, ita ut culter Anatomicus ubique allideret, & difficulter ad pelvim adigi potuerit, imo totam illorum substantiam lapideam, aut arenosam dixisses. Dein ubi ad pelvim perventum erat illa calculo obtura-

turabatur, qui accuratiſſime ejus cavitati reſpondebat, & non nihil in ureterem extendebatur, quem dilatavit ad craſſitiem pollicis. Nonnunquam etiam tubuli renum pituita infarciuntur, qui obſtructi itidem urinæ ſecretionem impediunt. Vitium hoc indicatur ubi urina turbida cum ſedimento copioſo mucilaginoſo, paulo poſt autem clara & aquea redditur, affligente ſimul dolore lumborum gravativo. Ubi ab ulcere renum, pus in tubulis hæret, nec non ſanguis grumoſus, aut ſi caſu ab alto tubuli fuerint compreſſi & contuſi, debita eorum conſtrictio & figura læditur, unde ceſſat urinæ ſecretio.

§. 138. Atqui his de cauſis utplurimum urinæ ſecretio in renibus impeditur; ſi tamen renes officio ſuo funguntur & urina ſupprimitur, veſicæ vitio hoc ipſum contingit. Ubi itaque tonus veſicæ relaxatus eſt, ut fibræ ſe conſtringere nequeant, urina ſupprimitur; quod experiuntur potatores, aliique, qui ruſtico pudore ducti voluntarie urinam ſupprimunt. Quorum veſicæ ſphincter paralyſi laborat, ita ut ille ſtimulum non ſentiat, urina accumulatur, quæ veſicam mirum in modum dilatando & diſtendendo tonum fibrarum relaxat.

Sub-

Subinde ſpaſmo afficitur ſphincter, ut pertinaciſſime ſe conſtringat; unde equidem ſentiunt ſtimulum ad excernendam urinam, nihilominus tamen, ubi eam excernere conantur, irrito conatu quidvis moliuntur: Hic ſpasmus nunc eſt per eſſentiam, nunc per conſenſum ex Colica convulſiva, nephritide aliisque doloribus abdominis. Nunc meatus urinarius calculo obſtructus urinæ excretionem impedit, id quod in calculoſis frequens eſt ſymptoma; nunc ex ulcere renum, vel veſicæ copioſum pus, nec non ſanguis grumoſus, aut pituita meatum urinarium obſtruunt, urinamque ſupprimunt. In meatu urinario proſtratæ nonnunquam inſigniter intumeſcunt, ita ut illum occludendo urinæ excretionem impediant; ſæpe etiam in gonorrhæa uretra expeditur; unde corpus aliquod ſpongioſum naſcitur, quod ſenſim augmentum ſumendo viam urinariam occludit.

§. 139. Prout itaque cauſa iſchuriæ variat, ita quoque nunc majus nunc minus periculum portendit. Si à calculo renum oritur, utplurimum lethalis. Quæ à vitio renum oritur, cæteris paribus, particuloſior eſt illa, quæ vitio veſicæ contingit: im-

impedimenta enim in hac facilius possunt removeri, quam in illa. Cæterum periculosus est affectus, qui utplurimum ægrum intra septem dies jugulat, nisi aliæ excretiones sint copiosiores, ut transpiratio, sudor; salivatio & catharsis.

Diabetes.

§. 140. Contrarium ischuriæ vitium est diabetes, in qua urina copiosa dulcis excernitur cum febrilenta, hecticæ simillima, siti intensa & totius corporis extenuatione. In causam si inquiramus, nosse juvat in principio diabetis excerni urinam non admodum copiosam, acrem cum insigni ardore & rosione, quæ sensim liberius profluit, idque vix animadvertentibus ægris. Manifesto indicio sanguinem corrosivo acido esse fœtum, qui ejusdem quoque indolis urinam in renibus deponit; unde illa copioso acido referta tanquam totidem cultellis membranas fibrasque nerveas arrodit. Acidum hoc sub initio manifestum est, cum purius sit, nec multis aliis particulis involutum, quæ illud temperare possint: successu vero temporis, dum urina largius profluit acidum illud particulis chylosis, nutritiis temperatur; unde sub dulcem præ se ferre solet saporem, qualem sulphur commune.

§. 141.

§. 141. Causam itaque diabetis statuimus esse acidum, quod sanguinem coagulando particulas serosas à crassioribus separat, non aliter ac in lacte coagulato videre est; hinc particulæ illæ serosæ ab aliis liberatæ facilius renum tubulos subire possunt, quam si aliis adhuc essent unitæ. Calculum suum addet quisquis considerat diureticorum duo esse genera, quorum unum attenuando, v. g. alcalia fixa & volatilia: alterum præcipitando, seu coagulando urinam pellit. Hæc inter caput exserit Spiritus nitri, qui potentissimus est diureticus, ac totus in coagulando. Idem præstat Vinum Rhenanum, quod præ aliis generosioribus urinam pellit; unde prostant observationes non paucæ, quæ ab usu horum diureticorum diabetem ortam fuisse docent.

§. 142. Dum itaque acidum massam sanguineam coagulat, succus nutritius qui in sanguine remanet, coagulatus & vehiculo suo destitutus crassior & acrior existit, quam ut omnes tubulos debite subire, eosque nutrire possit; unde totius corporis macies. Præterea coagulata massa sanguinea non serum solum ab ea secedit, verum etiam succus nutritius, qui una per vias urina-

urinarias ampliores & laxiores copiose excernitur, non secus ac crebrioribus catharticis non lympha solum intestinalis, sed ipse quoque succus nutritius tandem expellitur; unde tubuli rore suo nutritio defraudati extremam incurrunt maciem.

§. 143. Referunt annales Medicorum ex abusu diureticorum, nec non acidularum malum hoc fuisse pronatum; quod equidem non diffiteor, cum à copiosiori illa diuresi tubuli renum tonum suum ac naturalem constrictionem amittant; unde illi ampliores redditi; flaccescunt & appellenti sero facile transitum concedunt, cum impetum illius sustinere nequeant. Imo refert Hildanus ex usu acidularum diabetem ortam fuisse, in qua lac amygdalarum immutatum, & excretũ fuit. Quid autem sentiendum sit de nonnullorum observationibus, quæ testantur grana anisi & coriandri integra fuisse excreta, aliis judicandum relinquimus. Certum tamen est renes admodum flaccidos fuisse in diabeticis inventos, imo in potatoribus solitos majores solent reperiri, quales in dissectione Clariss. Domini Bontekoe reperti sunt. Cæterum qua ratione ex tali sanguine febris lenta oriri possit, in superioribus demonstravimus.

§. 144. Diabetes cum insigni corporis tabe incurabilis, nec non illa, quæ alios morbos chronicos insequitur; inde nisi in tempore illi succurratur, cum ab ægris utplurimum negligi solet, altas agit radices.

§. 145. Ad morborum cachecticorum classem jure suo pertinet icterus; cujus variæ sunt species pro diversitate colorum, quibus superficies corporis tincta apparet; nunc enim color est flavus nunc niger, nunc plumbeus, nunc cœruleus, nunc viridescens; commode tamen ad duo genera referuntur, flavum scilicet & nigrum. Colores illi maxime sunt conspicui in albo oculorum, quod minutissimis vasis saguineis copiose contextum est; ceu apparet in iis, quibus oculi rubent aut inflammati sunt.

Icterus.

§. 146. Conqueruntur primario de insigni præcordiorum angustia, lassitudine membrorum; dum scalas ascendunt, respiratio est difficilis cum palpitatione cordis; urina est crocea, cui si linteum immergitur, croceo colore tingitur; percipiunt saporem oris amaricantem; unde amaricantia, imprimis cerevisiam bene lupulatam nauseant, sitis est intensa, alvus est ut plurimum adstricta, ac excrementa albicant, quamvis etiam contrarium in dies observetur.

§. 147.

§. 147. Ad hunc morbum disponunt omnes illæ causæ, quæ cachexiam producere, adeoque sanguinem crassum viscidum & acidum reddere apta nata sunt; ita ut morbus hic sit ipsissima cachexia, à qua prædicta symptomata natales suos derivant.

§. 148. Ex tali itaque sanguine, ut supra sufficienter demonstravimus, variæ oriuntur obstructiones in diversis corporis partibus, quæ pro diversitate partium obstructarum diversos in œconomia sortiuntur effectus. Hinc si in hepate glandulæ bilariæ, per quas bilis necessitate organica secerni & per poros bilarios inductum hepaticum, per vasa autem bilaria cystica in folliculum fellis deferri debebat, obstruuntur, bilis secretio cessat, quæ sanguini commixta manens per extremitates venæ portæ in venam cavam, & tandem in totum corpus diffunditur, ac omnes fere humores flavo suo colore tingit. Hinc succus nutritius ad omnes tubulos deferendus, eodem quoque inficitur colore: cum enim in cachexia sanguinis fermentatio lente procedit, particulæ biliosæ minus subiguntur ac ab aliis absconduntur, ut ex intima illa particularū mixtione alius surgere possit color; ceu

ceu videmus chylum, & si in intestinis bile fuerit tinctus, lacteum tamen præ se ferre colorem. Cum itaque particulæ biliosæ laxe tantummodo cohærent cum massa sanguinea, facili negotio illæ ab eadem secerni possunt, in aliis etiam tubulis secretoriis; unde urina est crocea, quam à bile dependere experimentum Clarissimi Ettmülleri evincit: urinæ namque Icterici Spiritum Salis instillaverat, unde sedimentum viride præcipitatum fuit.

§. 149. Fæces albicant ex defectu bilis: etsi enim in ictericis folliculus fellis copiosa bile distentus fuerit repertus, non obstat tamen, quo minus à defectu ejus fæces albicent: Quis enim nescit bilis in hepate secretæ minimam partem in folliculum deferri, ac illam tantis in œconomia muniis obeundis non sufficere, nisi major illius copia ex poris bilariis per ductum hepaticum in intestina deferretur? Dein putamus bilem ex folliculo non indesinenter in intestina fluere, sed eam asservari in illo, ut certis tantummodo temporibus effluat, præprimis ubi ventriculus cibo potuve distentus folliculum immediate ipsi incumbentem premit, bilemque

exprimit ad ſtupendum chylificationis negotium felicius abſolvendum. Ex his itaque concludere licebit, bilem hepaticam poſſe deficere, etſi cyſtis fellea copioſa bile diſtenta fuerit reperta. E contra obſervatum eſt, cyſtim felleam calculis fuiſſe majoribus, minoribus repletam, imo bilem in ea defeciſſe, absque tamen ullo icteri veſtigio; non alia de cauſa, quam quod hepatica tamen deficiente licet cyſtica continuo affluebat, ac excrementa tingebat, dum illa, ut ſupra dictum eſt, maximam facit bilis partem. Non itaque dubitamus in ictero accuſare glandulas bilarias obſtructas, per quas, cum bilis ſecerni nequit, illa una cum ſanguine per venæ portæ extremitates in venam cavam defertur, ſanguini commixta manet, eumque colore ſuo tingit.

§. 150. Sed objiciunt nonnulli, bilem, qua bilem, formaliter non exiſtere in ſanguine, (quanquam de particularum eam conſtituentium in ſanguine exiſtentia nulli dubitent) ſed tum demum bilem conſtitui, ubi ex ſanguine tales particulæ, quæ cum figura glandularum bilariarum conveniunt, ſecretæ fuerint: adeoque ſi bilis formaliter non exiſtit in ſanguine, qui ſanguinem colore

lore suo poterit inficere? Respondemus autem bilis secernendæ rudimenta prima jam esse posita in partibus infimi ventris, antequam illa glandulas bilaricas subierit; unde aliquo modo jam formaliter existit in sanguine: debuit enim propter ea bilis secerni à sanguine venoso venæ portæ, cujus radices oriundæ à ventriculo, liene, pancreate, omento, & intestinis tenuibus lympham suam in visceribus suis deposuerunt; unde sanguis ille refluus aptior redditus ad bilem suam debita consistentia in hepate deponendam. Jam aliqua ratione formaliter bilem continet. Proinde si quis rem omnem acuratius examinare satagit, notabilem in sanguine venæ portæ præ alio venoso degustabit amaritiem, imo lividum magis in præcipitato sero deprehendet colorem.

§. 151. Præterea si vera est opinio, quam Clarissimus Nuk denuo adstruit, & Amanuensis ejus Dominus Reverhorst in Dissertatione sua Inaugurali de Motu Bilis circulari ejusque morbis die 13. Maji Anni præteriti Lugd. Batavorum septem Argumentis publico examini subjecit: scilicet bilis in intestina delatæ partem magis mobilem à poris vasorum meseraicorum ex-

cipi & in portam deferri: non video, quomodo bilis existentia magis formalis in vena portæ negari possit?

§. 152. Icterum quod attinet ex morsu animalium ortum, v. g. viperarum, aranearum, canis rabidi, de eo idem est sentiendum, cum venena horum animalium, quemadmodum omnia alia solent, cachexiam producunt. Niger icterus ejusque agnatæ species revera non differunt à flavo nisi quod bilis naturalis color ab admixto acido diversimode mutetur, unde ille etiam hunc insequi solet. Reliqua symptomata quorum supra mentionem fecimus, jam non attingam, cum sunt hysterica aut hypochondriaca & oriantur à generali cachexiæ causa & cruditatibus acido viscidis, quæ deficiente bile ejusque inertia in primis viis colliguntur, à cujus sale volatili oleoso temperari, incidi & attenuari debebant.

§. 153. Prognosis esto sequens. Quo levior est obstructio glandularum aut pororum bilariorum, eo malum levius est, si vero obstructiones sunt pertinaciores cum scirrho hepatis, lethale, nec non si folliculus fellis aut pori bilarii calculis obstruuntur. Facilius curam admittit icterus flavus, quam niger, hujusque variæ species.

§. 154.

§. 154. Tandem ex fonte cachectico oriuntur varii generis tumores, pustulæ, ulcera, v. gr. tumores tonsillarum, paronychia, œdema, scabies, strumæ, tumores cancrosi, & scirrhosi, ulcus phagadænum, herpes, tinea &c. horum omnium symptomata, tanquam unius arboris surculi, non secus ac cæteri morbi considerari mererentur; verum nimis longum foret, si omnia cachexiæ phœnomena in digitum mittere anniterer. Quapropter in specie de omnibus agere supersedere possumus, cum maximam jam morborum cachecticorum partem perlustravimus. Si quis tamen veritatis studiosus scire aveat, qui prædicta symptomata ex fonte cachectico declaranda sint, illi commendamus Clarissimi Domini Overcamp Neues Gebäu der Chirurgie Belgico Idiomate, cum versio Germanica manca, ac in plurimis mentem ejus non satis exprimit.

Cura generalis.

§. 155. Jam tempus est, ut mali hujus curationem generalem in nos suscipiamus, in qua sequentes nobis faciamus indicationes. Ut in omnibus aliis morbis ad primarum viarum digestionem respiciendum, sic in cachexia quam maxime ejus habenda est ratio. Quemadmodum enim totius œconomiæ nostræ salus à ventriculi integritate

tate dependet. Sic eo laborante infinita morborum ſemina in totum corpus diſperguntur: Hæret enim utplurimum cachexiæ fomes in primis viis, & ex iis ortum trahit ut ſupra demonſtravimus. II. Maſſa ſanguinea acida viſcida corrigenda ejusque circulatio augenda.

§. 156. Hoſce ſcopos I. obtinebimus digeſtivis & vomitoriis, quæ cruditates ex primis viis removent, ac obſtructiones hinc inde in viſceribus natas aperiunt, propelluntque; hinc illa ſemper, ſi ſaltem commode fieri poterit, curam ordiantur: His enim omiſſis curam cachexiæ ſuſcipere, non raro eſt æthiopem lavare, etiamſi optima quævis medicamenta in ſubſidium vocentur; eo quod illa omnem ſuam activitatem in primarum viarum cruditatibus attenuandis impendunt, ac ab iis enervantur, antequam maſſæ ſanguineæ ſuppetias ferre poſſint.

§. 157. II. Acidum & viſcidum temperandum & incidendum medicamentis alcalicis, fixis, quorum ſupra, ubi de ſcorbuto egimus, ingentem congeſſimus faraginem. In ſpecie autem acidum illud infringendum erit martialibus, quæ ſub varia forma propinari poſſunt. Nonnulli crocum martis

tis præscribere solent; malo tamen ego limaturam, cum ille acido jam saturatus, hæc vero non item, ideoque acido in corpore absorbendo aptior. Si tamen fermentum ventriculi sit obtusius, quam, ut compactam martis texturam resolvere possit, ejus præparationem cum cremore tartari suapidemus. Interponantur autem præcipitantibus alcalicis fixis semper volatilia, quæ pro symptomatum exigente necessitate variari possunt; de quibus infra.

§. 158. Notandum autem fixa insignem habere usum in cachexia acida, cum à volatilibus, aromaticis agitatus & velocissimo motu abreptus sanguis per vasa angustiora pari, qua per ampliora alacritate fluere nescius premendo & dilatando vasa variorum symptomatum exacerbationem producit. Salia itaque volatilia magis conveniunt ubi visciditas potius peccat, quam aciditas, aut tanta obstructionum in tubulis minoribus non adest congeries, quin illis penitus vel aliquatenus expeditis sanguis, ut ut in vehementiorem motum abreptus, omnes vasorum labyrintheos mæandros subire possit. Volatilia eadem sunt cum antiscorbuticis, quæ suo loco peti possunt.

§. 159. Maxime autem conveniunt

gummata, quibus ſolis pertinaciſſima etiam cachexia auſcultare videtur: Turgent enim perfectiſſimo ſale volatili oleoſo, quod viſcidas acidasque particulas temperat & reſolvit: eodem enim modo materia ſubtilis fluere incipit, per poros viſciditatum, quo olim per medicamenta hæc, adeoque viſciditates illæ ſe magis expandunt, majus ſpatium occupant ſuperantque preſſionem Athmoſphæræ; unde earum ramuli diffringuntur & ab æthere abreptæ cum reliquis ſuccis prompte circulatorium iter emetiuntur.

§. 160. Hunc effectum arguit ipſorum in tumoribus œdematoſis reſolvendis præſtantia, qua omnia alia medicamenta antecellunt, ac ſeſe nobis commendant: Proinde ſi in tumoribus illis pituitoſis, qui ex cachexia generali oriuntur, adeo conveniunt, quidni & eandem in generali amovenda cachexiæ cauſa præſtantem nobis promittent opem? Vidi ego à Patre meo experientiſſimo curatos cachecticos haud paucos inviſo prognoſtico ab aliis relictos, continuato gummatum nonnullorum uſu, quorum laudes ſatis evehi nequeunt: Sunt enim inſignia antihyſterica vel antihypochondriaca, quare in omnibus fere cache-

xiæ morbis apprimé conducunt, cum in iis ſemper hypochondriaca ſymptomata occurrant, quæ eorum uſum plus minus efflagitent. Commode autem præſcribuntur in forma pilulari, addendo interdum aliquid Tartari Vitriolati vel Vitrioli Martis, ne fermentatio primarum viarum à particulis gummatum oleoſis nimium ſupprimatur. Formula eſto

℞. Gum. Ammon.
Aſſ. fœtid.
Galb. an. ℥j.
Tart. Vitriol.
Vitrioli Mart. an. ℈j.
Ol. ſuccini vel Cinnam. gutt. V.
M. F. Pil. Doſ. a. ℈ß. ad ℥ß.

§. 161. Cæterum cachexiæ cura generalis non multum abludit à cura ſcorbuti, quam ſupra pluribus propoſuimus adeoque actum agere conſulto ſuper ſedemus. Hoc ſaltem innuam malum hoc eſſe tardioris curationis, illudque continuatum uſum medicamentorum exigere: ubi enim ſemel altas egit radices, non ita facile extirpatur, præprimis cum indies concurrant cauſæ, quibus malum hoc exacerbari peni-

nitusque incurabile reddi persuasum habemus.

§. 162. Stet in acie sitque prima pessima victus ratio, dum acida, salsa viscida, adeo in deliciis habent, ut ne ægrotantes quidem ab iis abstinere queant. II. Potus crudus, frigidus. III. Nimius esus piscium, quos ægrotantibus objicere moris est, cum inter cupedias eas referat insana plebecula. IV. Caseus & panis butyro illitus, isque calidus, quo famem suam præprimis infantum non explent, sed suffocant & obtundunt, venientibus annis exitio ipsis futurus ineluctabili. V. Importuna ad edendum invitatio, incivilis civilitas, cum certissimo sanitatis dispendio conjuncta. VI. Appetitus Caninus, hoc est nimius ab acri acidoque succo ortus, qui rodendo & vellicando superius orificium ventriculi implacabilem famem excitat. Quo posito miseri illi homines ad necem usque vorare coguntur: quicquid enim assumunt, in pastam acidam, viscidam vertitur, quæ novis cibis usque & usque cumulatur, donec omnibus fere tubulis obstructis immotus hæreat sanguis, ultimamque huic tragœdiæ imponat catastrophen. VII. Abhorrent plerique à vomitoriis, insolito & pe-

periculoso sibi habito medicamento, nec nisi semel aut bis id assumere dignantur. VIII. Rejiciunt damnantque illa medicamenta, ex quibus principio male habent, quod tamen inevitabile est, cum tam tenax visciditas absque molestia motuque nimio eoque expansivo auscultare medicamentis vel resolvi nequeat. IX. Desultoria ægrorum levitas, dum nunc hunc, nunc illum Medicum accersunt, imo & aliquando agyrtas, mulieres obstetrices, aliosque impostores in consilium adhibent, ac curæ methodum rationalem abrumpunt. X. Sordida avaritia, quæ transversim abrepti pecuniam præferunt sanitati, maluntque hi dracones opibus suis incubare, quam iis ad bene recteque valendum prudenter uti. XI. Maxima pars inani absque ope Medici convalescendi spe se lactat, quod tamen sæpe è diametro repugnat rectæ rationi; hinc occasione neglecta, quid mirum si à Medico post festum vocato, inviso relinquantur prognostico? XII. Quandoquidem persuasum sibi perperam habent pulmones esse corruptos lienem & hepar, varia pectoralia, splenetica, hepatica in usum vocant, ut plurimum sub forma syrupi, electuarii, decocti centum compositi mani-

nipulis; unde novum mali pabulum. XII. Ad ventriculi cruditates ejusque morbos vix respiciunt, imo leve malum esse putant ex ventriculo laborare; unde dicunt. Er hat den Magen nur verdorben / & si illi Medicinam facere volunt, in purgationes dilabuntur, easque & validissimas & frequentissimas; hinc illæ lachrymæ. XIII. Si lassitudo aut gravitas membrorum nec non si forte febricula oritur, quam ex calore insueto colligunt, venam incidi jubent, ac aliquoties ex placido repetunt. XIV. Tandem plurimi, imprimis mulierculæ passionibus suis litant, invidiæ, superbiæ, ambitioni, iræ aliisque non tantum non huic sexui propriis. Nonnulli domi manent, ac bufonum instar in latebris suis latitant nec ullo modo, ut honestis amicorum confabulationibus labantem animum erigant ac refocillent, adduci possunt. XV. Denique ipsorum Medicorum culpa malum hoc incurabile redditur, dum volatilia ad 10. vel ad summum ad 15. saltem, guttas exhibent: Cum enim massa sanguinea cruda & crassa existit medicamenta nec promptam opem ferre, nec integris viribus ad partem affectam pervenire possunt; medicamentorum dosis necessario, pro gravitate

tate mali interdum erit augenda: mihi namque persuasum est, plures parciori, quam nimio medicamentorum usu sub Medicorum cura obiisse. Quæ cum ita sese habeant, quid mirum si numerosa cachecticorum cohors irritis omnibus medicamentis tam misere tandem pereat? Sed tempus est, ut in viam redeamus, paucisque cachexiæ curam specialiorem in nos suscipiamus.

§. 163. Proinde in cura delirii melancholici, præterquam quod ratio habenda totius massæ sanguineæ, succi nervosi perversus motus restituendus vel medicamentis vel rationibus. Hisce scopis ut fiat satis prælibemus digestiva, quorum jam aliquot in superioribus exempla proposuimus. Omne fert punctum sequens.

℞. Tart. Vitriol. gr. VI.
Limat. Mart. ℈ß.
Sal. Tart. ℈j.
Myrrh. gr. iij. M.

Hic pulvis aliquoties repetatur, donec viscosior ille chylus aut pituita in primis viis discerpta, facilius evacuantibus auscultet.

§. 164. Si veterum vestigia religiose lege-

legere nobis animus esset, caput purgium, vel pillulas cephalicas vel extractum hellebori nigri vel melanagogum aliquod in subsidium vocaremus. Verum nos sana ratione ex experientia edocti, purgantia talia non præscribenda, sed proscribenda existimamus: non enim dantur talia purgantia, quæ causam melancholiæ expurgare possunt. Hujus vero causa est acidum, viscidum. Jam vero quicunque vel primoribus tantum labiis libavit fontes Medicinæ, satis perspectum habebit, Medicamenta, acidum purgantia adhuc desiderari. In quem ergo finem exhibentur? Silentio prætereo melancholicos raro & difficulter à purgantibus fortissimis purgari. Imo vere quo magis purgantur, eo magis alvum constipari.

§. 165. Nec erubescimus asserere purgantia subtilissimum quodque eliminare, crassiori relicto: Videmus enim in omni purgatione primo fœces crassiores prodire, post præter aquam prodire nihil: quid enim amabo aqua illa aliud est, quam lympha à circulatione residua, quam chylus optime digestus, qui lancinatis & ruptis per purgantium corrosivas particulas tubulis, qua data porta ruit & pernitiosum

œco-

œconomiæ excitat diluvium? denique constant illa ipsa particulis ramosis crassioribus, quarum capsulis vel vaginulis abscondita delitescunt salia corrosiva, serras & ab omni parte erectos aculeos repræsentantia: quid illa aliud, quam poros particularum alcalicarum obstruere, materiam subtilem arcere, chylumque viscidum longe viscidiorem reddere possunt, cum & ruptis tubulis lymphaque spirituosa evacuata, necesse sit, ut ea destitutus sanguis & chylus magis crassescant, languidiusque iter suum circulare persequantur?

§. 166. Rejecto itaque hoc medicamento veterum præparantia examinemus, quibus humores fluidiores reddere intendebant. Erant ea decocta & syrupi, quorum immane quantum absorbere cogebantur ægrotantes. Qui vero pituitam præparare possint, non video: quid enim dicam de syrupis, tantum abest, ut præparare, incidere & attenuare viscidum & absorbere acidum possint, in quo tamen vera præparandi ratio constat, quin acidum & viscidum potius augeant?

§. 167. Hinc ergo salia tum fixa, tum volatilia, huic scopo conveniunt & utramque absolvunt paginam optimaque sunt

præ-

præparantia; quibus præmiſſis vomitoria perquam neceſſaria ſunt: Multis enim retro ſeculis obſervarunt Medici, melancholicos optime habere à vomitoriis, nec mirum: hæc enim ſubtili ſuo ſale irritant fibras ventriculi motumque quendam convulſivum excitant, quo fit, ut motu periſtaltico inverſo quicquid in ventriculo continetur, feliciter excutiatur. Futile eſt purgantia & vomitoria eodem loco habere è ventriculo enim purgantia nihil eliminant, contrarium præſtant vomitoria, imo & viſciditates acidisſimas eliminatas ſæpius fuiſſe teſtatur ſtupor dentium inde contractus. Itaque poſthabitis alienis opinionibus, propinemus ægrotanti noſtro vomitoria eaque eo largiori doſi, quo magis ad delirium jam inclinare videtur, difficulter enim moventur. Sic

℞. Aq. Bened. Rul. ℥ij. vel ℥iij. D.

Vel: ℞. Tart. Emetic. gr. V. ad VI.

§. 168. Gradum jam facimus ad reliqua medicamenta, quibus ipſam mali cauſam extirpari poſſe putamus. Inter hæc familiam ducunt martialia, Sal vol. oleoſ. abſorbentia & digeſtiva; quorum cum jam in ſuperioribus formularum penu ſup-

suppeditavimus, sequenti erimus contenti.

℞. Limat. Mart. ℈ß.
Ocul. cancr. ℈j.
Sal. Absinth.
Tart. Vitriol. an. gr. V. M.

Huic pulveri gr. ij. vel iij. Ass. foetid. addi possunt, nisi patiens fastidiat.

§. 169. Loco vinorum medicatorum vulgarium, quæ politior praxis fastidit, sequentem Tincturam fieri curamus.

℞. Cinnamom. ℥ij.
Cort. 4. pomor. Aurant.
Cubeb.
Cardam. an. ℥j.
Galang. min.
Rad. Cal. Arom.
Helen. an. ℥ß.
Macer.
Croci orient. an. ʒiij.

Incisis & contus. D. S. Species zu einer Maaß Brantenwein. Sumatur inde bis vel ter haustus largior.

§. 170. Non dubitamus hic quoque Antiscorbutica nostra supra præscripta in usum vocare, persuasi ea & in acido melancholico temperando optatam operam

navare posse, qualia sunt sal vol. oleos. Spirit. Antiscorb. Elix. Antis. Elix. Dn. Overc. nec non Tinctur. succini & Matrical. omniaque Cephalica. Cæterum potu Theé omni die se ingurgitet, qui à cordato Medico magni semper habetur. Cui interponat Sal vol. C. C. aut largum haustum Tinct. modo præscriptæ vel alius similis. Si primæ viæ male se habent aliaque symptomata urgent, ea in usum vocanda erunt, quæ suo loco trademus.

§. 171. Jam dudum invaluit mos desperatos Melancholicos ad acidulas ablegare. Non equidem inficior, fuisse, qui ab earum usu non male se habuerint: Infinita namque sunt præter acidulas, quæ suum ad sanitatem recuperandam symbolum conferunt. Dum enim acidulis utuntur jubentur primo esse in continuo motu, omni studere hilaritati, conversari cum aliis, vitare solitudinem, cibis denique boni succi, idque modice vesci. Hæc omnia in melancholia curanda totum pondus habent, ut dicere ausim, hoc solo optimæ diætæ adminiculo frangi & domari contumax malum posse. Quicquid interim acidulæ præstant, absorbendo & diluendo præstant. In earum usu caveat unusquisque

que plus assumat, quam ventriculus absque nausea ferre potest, nec opus est gradatim nunc augere, nunc imminuere vitrorum numerum, aut singulis diebus præcise eandem dosin haurire, cum pro re nata nunc parum nunc multum bibere possis. Utinam hydropotæ adducerentur, ut acidulas calefactas biberent, tum sanitati suæ melius consulerent ac tot morbis ventriculi post earum usum non mulctarentur. Optimum equidem eas bibendi tempus æstate sit, quanquam tamen quovis anni tempore si modo calefactæ & in cubiculo calido hauriantur, commode in usum vocari possint. Potus etiam Theé parari poterit cum acidulis; unde earum operationem multum augebis; non enim est quod timeas coctione spiritus (ut ajunt) avolare, cum in iis nulli continentur. Per intervalla usurpanda sunt Medicamenta stomachica dicta, ut Elixir. prop. Ess Abs. compos. Elix. vit. Elix. Antiscorb. Dn. Bontek. Spir. Carminal. Sylv. Spir. vol. oleos. & Tinct. modo præscripta, aliaque. Sumantur quoque aliquoties pilul. nostr. cachecticæ horis vespertinis.

§. 172. Aggredimur jam curam ma-

niæ, quæ alia eſt in paroxyſmò, alia extra paroxyſmum, illa morbo, hæc cauſæ tollendæ incumbit; illa effrœnem ſucci nervoſi ſanguinisque motum placare, hæc particulas acres, corroſivas, inæquales corrigere, eliminare vitioſamque tubulorum figuram immutare, ruptos conſolidare & priſtino ſtatui, ſi poſſibile, reddere jubet.

§. 173. Non infimi ſubſellii Medici perſuaſum ſibi habent, poſſe primum ſcopum largiſſima venæ ſectione obtineri, ſed aurem nobis vellicat experientia, quæ non obſcure præ ſe fert, fuiſſe queis venæ ſectio novum malum hydropem conſcivit: Non enim ſalis volatilis nimia hic peccat copia, ſed irregulares rigidæque particulæ in furias actæ funeſtam hanc ludunt tragœdiam. Quod ſi jam liberalius ſanguinem exantlaveris quod reliquum eſt, omnium ſubtilium particularum expers, pigro per vaſa fertur paſſu, tandem in anguſtioribus lymphaticis ſtagnat, mora acrimoniam contrahit, cumque tenerrimæ ſint texturæ exedit, perrumpit, ſicque lympham exſtillare ſinit, unde hydrops.

§. 174. Quod in incendio illud & in magnis & difficillimis quibuscunque morbis

bis contingere consuevit: quemadmodum enim ibi confluente undique turmatim plebe: dum unusquisque pro virili nunc hoc, nunc illud consilium suppeditat suamque opem gnaviter præstat; hic aquam, alter ad diruendum vicinas instrumenta, tertius anthlias, alii alia flagitant, omnes turbati inter se rupto ordine moventur, nihil sæpe proficitur, altero alterius opem remorante, quin & sæpius interea temporis longe lateque serpit incendium, quodque paucorum hominum constanti opera & prudenti consilio extingui potuisset. Sic & in magnis morbis adstantium turba, nunc hunc nunc illum Medicum accersit; nunc hoc, nunc illud remedium proponit, adeo ut & ipsi aliquando Medici pendeant animi, nescii quid facto opus sit; unde fit, ut sæpe non quod expedit, sed quod primo impetu ipsis occurrit, tentetur, consiliumque præcipitanter sumatur ex arena. Sedulo interim cavere sibi oportet ab hoc errore Medicum, animo esse præsentem, nunquam hastam abjicere, nunquam perturbationem aliquam præ se ferre. Si itaque adstantes sint viri boni, honesti, si judicio aliquo & ingenio valeant, proponat ipsis venæ sect. tanquam fallax remedium, quod

eatenus saltem juvant quatenus exhausto sanguine, circulatione maximam partem imminuta, viribusque prostratis servire quidem, sed cum periculo vitæ diriorisque recidivæ metu desinant ægri, totius morbi indolem ipsis exponat, ac causam scilicet esse particulas acres, corrosivas succo nerveo immixtas, has corrigendas esse mitigandas, evacuandas, frustra illud exspectari à venæ sectione cum æqualiter illæ per totum sanguinem succumque nervosum diffusæ sint, adeo ut sic vel totum sanguinem exhaurire debeas, id quod ineluctabilem post se traheret moriendi necessitatem aut fatuitatem.

§. 175. Proinde omissa venæ sectione opiatis morbi inducias ineas, operam dabis nec oblivisscitor illi camphoram maritare. Sic sequens pulvis conducit quocunque modo ipsi exhiberi posset.

℞. Croci. ℈j.
Camph. ℈ß.
L. Opiat. gr. ij. M. D.

Vel:

℞. Tinct. Opii vel anod. volatil. aliquot gutt. infundantur potui ordinario.

Hac

Hac pia fraude sæpius opus habebis: nec enim vi, nec blanditiis ad medicamenta assumenda se patiuntur adduci.

§. 176. Quod si parumper remiserit malum ad causam illius eliminandam esto sollicitus. Sic vomitoria multum in recessu habent, largiori tamen dosi exhibita. Sic Tart. Emeticus ad gr. VI. vel VII. Aq. Bened. Rulandi ad ℥iij. propinanda. Duplici omnino modo illa proficua esse videntur; primo excutiendo ex primis viis cruditates acidas & viscidas, secundo motum succi nervosi mutando alioque avertendo mentique corelictis prioribus ideis, de aliis rebus cogitationem præbendo. Hæc vero, si ullibi, certe hic aliquoties sunt repetenda.

§. 177. Porro jam particulæ istæ corrosivæ & acres in motum raptæ indicant sui correctionem, quod fit primo absorbentibus, h. e. medicamentis tales poros habentibus, quæ abscondere, & recipere spicula illa possunt. Præstabit hoc seq. pulv.

℞. Nitr. antim.
Cinnab. nativ.

Sach. Satur. an. ℈ß.
Antih. Poter. ʒß. M.

Potui ordinario inspersus commode assumitur: avidissime enim, cum interdum à potu abstinent, bibentes, non addendunt ad ingratos medicamentorum sapores.

§. 178. II. Involventibus, quæ intricatis & ramosis suis particulis aculeos & spicula involvunt; proin Camphora egregiam in hoc morbo navat operam, nisi horrendo suo sapore ægris sit infamis.

℞. Lapid. prunel. ℈j.
Camphor. gr. V.
Sach. Sat. gr. viij.
L. Opiat. gr. i. M. D.

§. 179. Ut eo felicius maniacos decipias, sequentem pulv. placentis, si iis delectantur, incoquendum cures.

℞. Nitr. antim.
Corall. rubr. præp.
Bez. miner.
Sach. Saturni.
Camphor.
Radic. Contray.
Macer.
Cinnamom. q. l.

§. 180.

§. 180 Sunt qui inter secreta sua servant sanguinem asininum retro aures extractum. Processus est seq.

℞. Linteum sanguine Asini imbutum impone in seq. Aq. Aq. anagal. & flor. hyper. donec aqua tingatur, sudet inde æger. Ratio quam hujus operationis reddere satagunt, ridicula est & infirmo incedit talo. Prætendunt scilicet, ideam timoris & stupiditatis huic animali propriam & sanguini impressam contrariari efferatæ maniacorum audaciæ, sed delectentur illi specificorum verborum suorum mangonio. Nobis vero similius videtur sanguinem istiusmodi si quid præstat, multis particulis volatilibus constantem obtundere & imminuere acerrimum & simillimum sal acidum.

§. 181. Atque exinde fluere videtur sal. volat. usum non esse flocci faciendum, modo illis ingeri possint. De purgantibus altum silentium esto: periculum namque est, ne salis corrosivi aculeos magis acuant, quemadmodum duo cultri mutua affrictione acutiores redduntur. Cæterum potui ordinario infundi possunt varia volatilia cephalica quorum supra mentionem fecimus.

§. 182. Si ratione adhuc se duci pa-

tiuntur aut dilucida ſaltem habent intervalla, decoctum vel infuſum lignorum, hyperici, anagallidis in uſum voces, aut ſpecies ſaltem in cereviſia macerentur. Amici vero in id omnes intendant nervos, ut ſuavi Muſica, confabulationibus amœnis, vel aliis honeſtis recreationibus cogitationes alio avertantur, ſenſimque ad humaniores mores ferocia exuta componantur. Quod ſi hoc non ſuccedit, alia incedendum via, plagis, verberibus, minis, virgis, vinculis coërceri debent, donec ſibi redditi, furere deſinant, melioraque monentibus dicto ſe præbeant audientes.

§. 183. Reliquum eſt, ut qui vitioſa tubulorum figura emendari, aut rupti ſanari poſſint, examinemus. Verum quandoquidem ceu ſupra innuimus, illud in hominum poteſtate ſitum non eſt, prudentiæ erit in tempore amicis, in quo miſer ſtatu verſetur, indicare, ne vana ſpe lactati, ſuperfluos ſumtus faciant, quid quod hoc pacto quam optime famæ noſtræ conſulimus, quæ multa promittendo ac nihil præſtando, non parum detrimenti capere poſſet.

Cura Vigiliarum.

§. 184. Curam vigiliarum auſpicamur ab objecti externi partes ſenſiles irritantis remo-

remotione. Secundo rationem habendam censemus chyli, sanguinis & succi nervosi. Primæ indicationi satisfacturi monemus per objecta externa nos intelligere, quicquid diversis passionib9 subjicere mentem nostram potest. Sunt vero passiones perceptiones, vel sensus animæ, qui speciatim ad eam referuntur, quique producuntur, conservantur per aliquem motum spirituum. Quamdiu itaque objectum istud externum ingeritur menti, non poterit non ad cogitandum de illo concitari, quam cogitationem continua sequitur succi nervosi agitatio & in motum propensio; unde vigiliæ.

§. 185. Ad quamcunque igitur passionem objecta externa mentem dimittunt, sive iram, sive tristitiam, sive odium l. omnibus viribus in id incumbendum censemus, ut vel è medio tollamus, vel oculis illud nostris & sensibus surripiamus. Quod si objectum familiare & domesticum sit, imo illud in ipso sinu visceribusque nostris nutriamus, cogitemus turpe & putidum esse mentem particulam illam divinæ auræ infra abjectissimi corporis sortem abjicere, rebelli huic subdito sceptra tradere fascesque, denique indigne ferendo quæ mutari ne-

nequeunt. Quod si ab effreni spirituum motu animum eximere, sanæque rationi auscultare nondum assueveris, amœnis amicorum confabulationibus, Musica, ambulationibus aliisque recreationibus animum relaxes & divertas. Secus vigiliæ à passionibus ortæ medicamentis raro & difficulter manus dant victas; quin insomnia horrenda, motus convulsivos, aliaque mali moris pathemata post se trahant. Parce itaque opiata hic commendanda, quin ea substituas, quæ mollioribus suis particulis oleosis acrimoniam nimiam succi nervosi temperare, ejusque tumultuarias excursiones inhibere possunt. Talia sunt Crocus, Contrayerva, Camphora.

§. 186. Qui propter mœrorem vigiliis torquentur, mediocri vini usu curas dissipent, bene gnati Bacchum hilaritatem quidem conciliare, sed temporariam, sed diriore & atrociore tristitia, ubi habenas ipsi relaxaveris, totumque corpus libere Bacchi rore consperseris, compensandam: si tamen salis vol. oleosi gutt. aliquot vino instillaveris, minus periculum imminebit.

§. 187. Sic Tinct. Croci, omniaque volatilia ad curas dissipandas vigiliasque inde natas prævertendas omne ferunt punctum.

Quod

Quod si ab ira vigiliæ resultent Bacchum plane interdicas ægrotanti: periculum enim est, ne acrioribus redditis succi nervei particulis vehementiores tumultus subsequantur.

§. 188. Sequentem mixturam commendatam sibi habeat quisque.

℞. Rad. Contray.
Croci an. ℥ij.
Cortic. Citri.
Cinnam. an. ℥iß.
Mac. ℥ß.
Ambr. grys. gr. viij.
Moschi gr. iij.
Spir. Lavend. Rorism. an. ℔ß.
4. Sem. calid. major. ℥j.

M. Digerendo F. s. artem ℞a, quæ ad cochleare unum vel duo ter singulis diebus usurpetur.

§. 189. Iratis proficua magis sunt opiata ut & emulsiones, quæ mollibus suis, raris, flexibilibus ramosis, paucis punctis se invicem tangentibus particulis aculeos salium obtundunt, involvunt & mitigant. Formula esto.

℞. Amygd. dulc. ℥iij.
Papav. alb. ʒvj.

Cum sufficiente quantitate aq. Nymph.

Fiat

Fiat emulsio ad ℔j. adde ocul. cancr. Ant. diaph. an. ʒj. Sach. perl. ℥ß. M.

§. 190. Altera jam indicatio requirit, ut causam hujus mali radicatam in causa cachexiæ generali & particulari funditus evellamus; hoc qui fieri debeat, jam ex antecedentibus & consequentibus patebit. Oleum enim & operam perdes, si illotis manibus solo opio somnum introducere allaboraveris: Imprimis in senum vigiliis caute mercari discas, & avara manu dispenses narcotica, cum hic omne negotium spiritibus, volatilisantibus, aromaticis, digestionem in primis viis promoventibus, felicius altiusque perficiatur; ne opium tibi aliquando sit, ut gladius in manu furentis. Nota: Ubi senes vigiliis torquentur, quod confortantia, ambra, essentia ejusdem, crocus, aliaque conducant. II. In vigiliis angustia pectoris, dyspnoea, hydrope stipatis, opiatorum usus temerarius est, & utplurimum funestus. III. Exhaustis jam viribus, particulisque spirituosis deficientibus, cave opiata exhibeas: exigua enim particularum spirituosarum copia quæ adhuc residua est ab opiatis facile supprimitur. Cave ergo divino hoc medicamento abutare.

§. 191. Hucusque de internis, jam quid vale-

valeant externa, quidque ferre recuſent, perſpiciamus. Lotiones manuum & pedum uſus approbavit. Sic

℞. Fol. Salv.
Rorismar.
Majoran.
Chamom. an. m. j.
Capit papav. cum ſeminib. cont. n^{10} vj.

Coque in ſufficiente quant. aq. ſimpl. decocto iſto laventur manus & pedes, ac linteis involutis ſponte exſiccentur.

§. 192. Mirum videri poſſet, qui hæc externa ad ſomnum conciliandum aliquid facere poſſent. Nos ſalvis aliorum judiciis intendi putamus hac ratione in externis ſanguinis circulationem, unaque cum ſanguine particulas herbarum ramoſas, flexilesque ad cerebrum deferri, ubi natas obſtructiones expediunt, tranſpirationem promovent, aculeos ſalium nervos vellicantes & cerebri ſubſidentiam inhibentes, involvunt, ſuccique nervoſi acrimoniam fixam demulcendo optatam œconomiæ poſtliminio reducunt tranquillitatem.

§. 193. Lotiones ſequuntur inunctiones ex Ol. Nymph. Ol. Nuciſt. expreſ-

pressæ ungu. popul. Camph. & Croco. Sic

℞. Ol. Papav. expr. ℥j.
Nucist. ʒß. M.

Vel:

℞. Ungv. popul. ℥ij.
Tinct. Anod. volat. gutt. xxx. M.
Illinatur temporibus.

Varia quoque epithemata ex aq. samb. Spir. Vin. Camph. fronti applicari possunt. Seq. Epithema nonnullis in frequenti usu est.

℞. Aq. Ros. ℥viij.
Tinct. Anod. vol. ℥j.
Croci ℈ij. M.
Applicetur fronti linteis duplicatis.

Cura epilepsiæ.

§. 194. Ordine jam sequitur, ut epilepsiæ & convulsionum curam in nos suscipiamus, durissimumque hoc malum domepiamus. Alia vero cura erit instituenda in paroxysmo, alia vero extra eum. In paroxysmo opera danda ut æger quantocyus excitetur. Huic scopo inserviunt omnia salia vol. oleos. & graveolentia naribus admota, quorum in apoplexia ditissimum suppeditavimus penu, ligneum cochleare ori indatur, ne linguam præmordeat epilepticus.

§. 195.

§. 195. Extra paroxysmum nihil inventatum omittas, quod ad præservationem ab hoc malo causæque exstirpationem facere queat. Cum mali hujus nidus in primis viis strui solet, è re ægrotantis fore confidimus, ut Vomitorio cruditates in ventriculo aliquoties excutiantur; nec ipsa tenella ætas hoc remedio fraudanda, cum facilius ad vomitum disponi possunt, quam adultiores hic

℞. Tart. Emet. gr. ß. vel j.
Solub. gr. iv. M.

§. 196. Cæterum maxime in id intenti simus, ut tota M. S. particulis acidis, corrosivis liberetur, succo nervoso debita subtilitas & volatilitas restituatur, fermenta peregrina quæcunque fracta jam & enervata ex toto corpore eliminentur. Huic scopo famulatur triplex remediorum materiæ fons, Chirurgicus, Pharmaceuticus & Diæteticus. Fons Chirurgicus nobis suppeditat cucurbitulas, cauteria, actualia & potentialia. Huc refertur moxa, in cujus egregiis & divinis viribus exaggerandis haud unus desudavit Æsculapius. Fons Pharmaceuticus nobis suggerit omnia al-

calia, fixa, volatilia, ſpirituoſa, terreſtria.

§. 197. In corradendis medicamentis in hoc morbo ſpecificis officioſam practicorum ſedulitatem laudamus quidem, ſed quis ingenii erit adeo perſpicacis, ut optima quæque ex tanta, tamque immenſa eorum forragine ſeligere valeat? Nos eorum, quæ longior uſus approbavit, numerum inibimus. Stent ergo in acie terrea, alcalia, qualia ſunt cranium hominis non ſua ſed violenta morte perempti propter abundantiam ſalis volat. Bezoar orientale & occidentale. Unicornu marinum & foſſile. C. C. Succinum, pulv. ſecundinæ humanæ. Stent poſt principia mineralia, Cinnabar. ♁ij. & nativa, indeque paratum ſpecificum cephalicum, formulæ ſunt ſequentes.

℞. Cinnab. nativ. ſelect. ℈j.
Bezoar. orient. gr. viij.
Corn. alc. gr. xj.
Ol. ſt. ſuccini gutt. j. M.D.

Vel:

℞. Cinnab. Antim. ℈ß.
Sal. vol. C.C.
Ungul. alc. an. ℈ß.

L.

L. Opiat. gr. j. M. D.

§. 198. Seq. pulv. ſummis in cœlum laudibus extollunt Medici non infimi ſubſellii.

℞. Cinnab. Antim. ℥ß.
Unicor. foſſ. ℨij.
C. C.
Viſc. querc. an. ℨj.
Terr. ſigill.
Cran. hum, præp.
Margar. præp. an. gr. xv.
Lapid. Schmaragdus.
Croci. an. ℈ß. M. F. P. ſubt.

Hic pulv. propter Cinnabarim, quæ baſin ejus conſtituit magnarum eſt virium, cum & cætera ingredientia in abſorbendo acido vitioſo fidelem navant operam.

Vel ſeq.

℞. Cinnab. Antim.
Raſ. Cran. human. an. ℈ß.
Sal. vol. C. C.
Succini an. ℈j.
Croci.
Camphor. an. gr. vj.
L. Opiat. gr. ij. M. D. pro duab. vicibus.

§. 199. Cæterum cura habenda pri-

marum viarum, cui scopo inservient ea, quæ infra de passione hypochondriaca proponemus. Singulis septimanis vel mensibus assumantur pilul. cachecticæ supra præscriptæ.

§. 200. Alias inter specifica caput extollunt pulv. talp. succini, secund. humanæ, cor lupi, hepata ranarum stercora Pavonis, Ciconiæ, Leonis, sanguis humanus, & spiritus inde cum Alcoh. vini electus. His succenturiantur omnia Cephalica, quorum olim jam meminimus Spir. lil. convall. Sal. vol. oleos. liq. C. C. succin. Tinct. Succini, Castor. Camphor. cum opio interdum mixta. Tinct. lunæ sunt qui commendant, sed cave pro Tinct. vera lunæ Tinct. Vener. accipias. Paratur in nonnullis officinis Theriaca cœlestis, quæ ad aliquot gr. exhibita in hoc malo per sudorem curando non ignavam fert opem. Ut in aliis, sic & in hoc morbo sudorifera omnem absolvunt paginam: formulas jam tradidimus.

§. 201. Sunt & alia in hoc morbo decantata remedia, quæ aliis confortare cerebrum dicuntur, ejus poros constringere,

re, ſpiritus intra cerebri meditullium figere & quaſi conſtipare: talia ſunt pœonia, viſcus quercinus, Corylinus, Flores tiliæ & lilior. convallium: ſed hæc opinio cenſoriam meretur virgulam. Temere namque pharmaco aliquid tribuitur, quod nec præſtare vel debet, vel poteſt. An igitur in hoc morbo pororum cerebri indicatur coarctatio? finge illos pro lubitu jam coarctatos eſſe, plus profecto inde damni, quam emolumenti exſpectandum: Quo enim anguſtiores tubuli, eo pigrius, eo lentius, eoque languidius excurrit ſpiritus, ſicque ad affectus ſoporoſos liber patebit aditus. Secundo medicamenta illa terreſtria propter intricatam particularum irregularitatem ad cerebrum ægre aut plane non deferuntur. Tertio eo delata, ut abſurdum hoc concedam, ſubſiſterent & obſtructionem facerent. Quarto tantillum particularum terreſtrium nullo modo ſucci nervoſi familiam figere vel conſtipare poſſet: Viſcum quercinum in horum medicamentorum cenſum vocant, aſt ille ſi juvat, alio modo juvare cenſendus. Conſtat quippe particulis terreſtribus, irregularibus & ponderoſis, quæ vires ſuas ultra

primarum viarum pomæria haud diffundunt. Est itaque sanæ rationi, nisi totus fallor, longe convenientius statuere, eum imbibere luxurians in primis viis acidum, sicque illi omnem aditum intercludere ad M. S. Quo fit, ut radice succisa, arbor, omnes ramusculi, cunctique morbi fructus flaccescant, & arescant succo suo nutritio destituti. De pœonia idem est judicium. Flores tiliæ & liliorum convallium, odore quem spargunt subtilissimo, gratissimo manifeste indicant, eos sale volatili subtilissimo constare, quo angustissimis cerebri tubulis magis appropriati sunt, quam alia volatilia crassioribus constantia particulis. Sic satis refutatam esse puto subtilem hanc opinionem. Felix qui potuit rerum cognoscere causas.

§. 202. In catalepsi curationem eandem adhibendam in & extra paroxysmum judicamus atque in epilepsia, apoplexia, paralysi, quo philiatros relegando crambem bis coctam apponere supersedemus.

Cura hæmorrhagiæ.

§. 203. Curam hæmorrhagiæ narium facimus duplicem, aliam in paroxysmo, aliam extra paroxysmum: in paroxysmo omnibus viribus annitimur, ut fluxus sistatur: servat enim hominem, qui servat sangui-

sanguinem. Id vero consequimur cum externis, tum internis remediis. Externorum Catalogum conficere, si in animum inducerem & tempus & charta deficeret. E re itaque esse duco pauca eaque selecta huc accersere.

§. 204. Solvatur Vitriol. Roman. in aqua comm. qua solutione madefacta turunda intrudatur naribus & aliquando detineatur. Crocus martis adstringens insuffletur naribus. Vel sequens

℞. Alum. ust.
Coloph.
Lacc. pictor.
Sangu. Dracon. a. ℨj. M. D.

§. 205. Possunt etiam parari turundæ ex usnia Cranii humani madefactæ cum mucilagine tragacanthi. Verbo sanguinis fluxionem sistunt omnia austera & terrestia externe adhibita. Sic famosus ille pulvis Sympath. Dygbæi, nihil aliud est, quam Vitriolum Roman. quod inspergere in nares satius est, quam cruento linteo involvere. Huc pertinet phlegma Vitrioli cum albumine ovi subactum, quod potentissime adstringere, sanguinemque coagulare observatum est. Circumferuntur hac tempestate

varii liquores ſtyptici, quos inter ſequens mihi arridet.

℞. Salis Armon.
Lapid. hæmat.
Vitrioli, an. q. l.
Solve in cella in liquorem, ſervetur uſui.

§. 206. Epithemata fronti, teſticulis & mammis applicari ſolent, ſeq. eſto inſtar omnium.

℞. Roſar. rubr. m. j.
Cortic. Gran. m. ß.
Flor. balauſt. ℥ij.
Rad. torment.
biſtort. an. ℥j.

Coq. ſimul in vino rubro ad mediæ partis conſumtionem Colat. ℞. ℥vj. adde Sach. Satur. ℈ij. lapid. prunell. ℈iv. Spir. Vini Camph. ℥iij. M.

§. 207. Alii ad venæ ſectionem tanquam ad ſacram anchoram confugiunt, qua ad aliam partem ſanguinem derivare allaborant, ſed oleum & operam perdunt: nec enim ſtante ſanguinis circulatione ejusmodi derivationes aliud quid ſunt, quam ſuavia vigilantis cerebri inſomnia. An vero ille boni cordatique Medici partes impleſſe jure dici poterit, qui hæmorrhagiam,

giam, omnem ipsi per V. S. sanguinem detrahendo curare satagit. Quid enim aliud exanthlato vitæ thesauro sanguine, accersit sanguinolentum hoc crudeleque remedium, quam extremum exitium certamque necem.

§. 208. Satis de externis, pro usu interno laudamus & utroque pollice approbamus, quæ circulationem sanguinis promovere apta nata sunt, rejectis potionibus frigidis, julapiis, acidis & frigidis, quæ pabulum atrocissime ministrant, non subtrahunt. Seq. ad miraculum instar quamvis hæmorrhagiam sistere dicitur à Clarissimo Dn. Overcamp.

℞. Lap. prunell. ℥j.
Camph. ʒß.
L. Opiat. gr. j. vel ij. M.

F. Pulv. nro. IV. quorum unus omni quadrante hora dandus, donec profluvium sistatur.

§. 209. Vel seq.

℞: Croc. mart.
C.C. usti an. ℈ij.
Ocul. Canc. ℈j.
Sangv. Drac.
Lap. prunell.
Camph. an. ℈ß.
L. Opiat. gr. ij. M.

Fiant Pulv. nro. 3. Dentur ut supra. In more positum est aliis præscribere emulsiones, quas nec nos rejicimus. Seq. Tinct. 20. vel 30. gutt. aliquoties propinentur in aq. Rosar.

℞. Tinct. Terr. Jappon.
Mart. aperit.
Gum. Lacc.
Anod. volat. an. ℥j. M. D.

§. 210. Extra paroxysmum ad præservandum hoc malum suspecta nobis sunt acida & adstringentia quævis, cum illa sanguinem coagulando & incrassando circulationem ejus remorando, non præservent, sed disponant, viamque sternant ad hoc malum. Auctor itaque sum, ut absorbentia terrestria, quorum aliquoties mentionem fecimus, nusquam non delibentur. Dein lento gradu sed intrepido ad volat. procedatur. Sudor aliquando proliciatur, missis purgantibus, quæ in perniciem ægrorum medicastri nonnulli suadent. Cæterum eadem sit cura, quæ Cachexiæ ut attenuatis & subtilisatis crassioribus patriculis, angulis aculeisque omnibus obtusis, nullibi hæsitet, nullibi allidat sanguis, sed facili, celeri, expedito, inoffensoq; cursu per omnia sua vasa, ut ut pilo tenuiora means remeansque

ansque œconomiæ nostræ sanitatem sartam tectamque quam diutissime bona fide conservet.

Cura asthmatis.

§. 211. In asthmate curando non videbimur multum à janua aberrare, si omnem moveamus lapidem, ut visciditates ubicunque locorum latitant discerpantur & comminuantur salia acida corrigantur & ad volatilisationem disponantur, denique evacuentur. Præludant itaque vulgo dicta digestiva, quorum sæpissime jam facta mentio. Tum propinandum vomitorium quo nihil in hoc morbo præstantius. Dato vomitorio porro in id incumbendum, ut causa mali tollatur, hoc facile consequi poteris si absorbentia, salia fixa alcalica volatilia, oleosa liberalissime indulseris, quorum uberrimam segetem in superioribus jam corrasimus.

§. 212. Quo tamen firmiore talo incedas, hæc mordicus teneto. Primo mane vel potum ligni *Sassafras* vel Theé vel Coffeé larga manu porrige, quod si Vomitus subsequatur, urge & insta, & diligentissime cave, ne idcirco deterreatur. Tum vero pulverem alcalicum assumat. Elapsis aliquot horis sumat liberalem haustum vel Spir. Cortic. Citri, Allii, Carminativi Sylvii, vel

vel Elix. vit. Tinct. propriet. Perinde est, quem horum spirituum in usum voces, interest tamen aliquando mutare medicamenta novisque semper spiritibus ægrotantis palatum irritare.

§. 213. Jam ad prandium pervenimus, initium hic fiat à jusculis bene aromatisatis, herbisque odoriferis incoctis. Cibi ipsi sint boni succi, potus esto calidus & spirituosus. Inter epulas Spirit. volat. oleos. assumatur in vino. Tribus vel quatuor horis à pastu iterum sumat superiorum spirituum haustum liberalem vel seq pulv.

℞. ⊖. vol. Succin.
Flor. Benz.
Sperm. Cet. an. ℈ß. M. D.

§. 214. At vesperascente die, ubi accumbitur, loco cœnæ ad potum suum Caffeé confugiat finiatque seq. Spiritum Vino assumto.

℞. Spir. C.C. succin. & essentif. ℥iij.
Tinct. Ass. fœtid. ʒß.
Castor. ʒj. M.

§. 215. Cubitum iturus pilul. cachecticas supra præscriptas assumat vel seq.

℞. Thereb. Venet. ℈ij.
Gum. Ammon.
Ass. fœtid. an. gr. xv.

Tart.

Tart. Vitr.
Arc. dupl. an. ℈ß.
Myrrh.
Croci an. ℈j. M. F. Pil.

§. 216. Hanc vivendi rationem per aliquot dies continua, tum ſudoriferum exhibendum ſuademus, cui ſuperbibatur potus Theé cum ſpiritu quocunque aromatico, ſeu aſthmatico dicto.

§. 217. Hoc peracto ſi neceſſitas durum illud telum urget, iterum Vomitorium urge. Atque hujus methodi filum pertinaciter ſequi oportet, donec ad ſe redierit æger. Quod ſi vero hoc fit, ut ab initio pejus habeat, anxietates vel reſpiratio difficilis intendatur, imo à medicamentis Vomitus ſequatur, in minori doſi eadem propines: augeri enim facilius poteſt doſis ſucceſſive per gradus, quam ubi jam aſſumta fuerint imminui. Vide proinde quid valeant humeri, quid ferre recuſent. hoc enim ſæpiſſime evenit, & quidem ubi aculei acidi admodum craſſi & rigidi ſunt, qui poros ſalium alcalicorum ita complent, ut materia ſubtilis vehementiſſime compreſſa & ad ſummas anguſtias redacta, eo ferocius tumultuare cogatur, quo pori, in quibus incarceratur, ſunt anguſtiores, dein viſci-

viſciditates tenaciſſimæ & craſſiſſimæ ubi ſic expanduntur, brachiola ſua longe lateque explicant, nec dum multis punctis ſi invicem tangunt rumpi ſe fecile patiuntur. Sic extendendo ventriculum & diaphragma premendo inevitabilem adferunt mali exacerbationem. Sed quid facias: Inſiſtendum tamen, devorandæ hæ moleſtiæ, alias medicamentis malum non dat manus victas.

§. 218. Suadent nonnulli Medici venæ ſectionem, imo ipſi ægri eam poſtulant & amici. Sed indica, eam quidem juvare, ſed in ſpeciem & fraudem, revera autem nocere, ſimillimam eam eſſe hominibus, queis mel in ore, fel in corde.

Cura ſincopis.

§. 219. Suppetias laturi animo delinquenti, firmiter nobis proponamus ſanguinis circulationem intendere & priſtino vigori reſtituere, rationem cauſarum remotiſſimarum habentes. Sic ubi ab odoribus gratis moſchi malum oritur, graveolentia naribus admoveantur. Aſſa fœtida. Caſtoreum, plumæ accenſæ aliaque. Jejunium ubi in cauſa eſt, menſam ſternere epulaſque apponere jubebimus. Sic reparata partim particularum volatilium jactura reſtituitur ſanguinis circulatio, partim acidum in primis

nis viis mora acrius redditum saturatur. Si à nimiis evacuationibus oritur, spirituosa, volatilia sanguinis circulationem promovere idonea, quorum dein catalogum pertexemus, proderunt. Si à terrore, ira, aliaque animi passione oriatur, vena secari potest, præstat tamen salis volatilis oleosi in vino generoso largam dosin exhibere, vel hauriat Elix. vitæ. Elix. Antiscorb. Botek. Spir. aut Tinct. Cinn. in vino Canariensi. In ipso paroxysmo convenit Spir. Sal. Arm. cum calce viva paratus naribus admotus, ut ad se redeat æger.

§. 220. Interea temporis seq. mistur. poterit propinari, cui aliquot guttulæ Olei Ci namomi possent addi, nisi malum ex ventriculo sit, brachiola enim sua latius expandunt olea, ac rarefiunt; unde ventriculum distendunt, diaphragma premunt, præcordiorum angustias augent ac respirationem impediunt.

℞. Spir. Meliss.
Cinnam. an. ℥iß.
Tinct. Croci ℨj.
Liq. C. C. Succin. ℨij.
Elix. vit. ℥j. M.

§. 221. Ad diligenter præservandum si malum sit ex ventriculo aut hypochondriis

driis, Vomitorium non inconcinnam navat operam; imo hoc ſolum optimum erit confortans. Quod ſi hic non niſi cordialia ſecundum nonnullorum opinionem implorari debebant, Vomitoria vero tam fidam opem ferant, deliberent jam judicentque, an forte horum claſſi adſcribi quoque debeant Vomitoria?

§. 222. Cæterum uſurpet omni die nunc ſal. vol. oleoſ. nunc Tinct. Succini vel alium Spiritum aromaticum. In genere vide ut Cachexiam tollas.

Cura appetitus proſtrati.

§. 223. Appetitum proſtratum curabis, ſi ad cauſas remotas reſpicias. Sic ſi ex otio & minori tranſpiratione appetitus eſt dejectus, torporem excute ambulationibus aut labore modico, corpus exerce: ſic namque commotis muſculis torpens in vaſis ſuis ſanguis premitur & propellitur reſpiratio acceleratur, qua ille magis rarefit & protruditur; unde tranſpiratio augetur & ſubtilius in ventriculum depluit fermentum. Si curæ mœrorque in cauſa ſunt, animum tuum rationibus robora, ac obligationum tuarum memor eſto, quibus hortaris: ubi nihil vales, ibi etiam nihil velis: Si ex continua ciborum ingluvie toto die facta appetitum proſtraveris, regulare in eden-

edendo obſerva tempus, imo à cœna & nonnunquam à prandio abſtine; ſic fermentum fiet acrius ſimul & ſubtilius, imo nunquam absque appetitu menſæ accumbes.

§. 224. Si denique ex fermento viſcido & cruditatibus ventriculi appetitus deficiat, cave acida præſcribas; novi equidem ea promptiſſime appetitum revocare, ſed coactum (liceat ita loqui) unde equidem alimenta ingeruntur, quæ tamen diſſolvi nequeunt, in cruditates abeunt & cum arduum hoc digeſtionis negotium acidis non abſolvatur ſolum: documento nobis ſunt illi, qui fame canina laborant: avidiſſime namque appetunt, minus tamen alimenta digerunt: unde ab iis gravantur, nec raro cruda vomitu rejiciunt: præſtat proinde opus hoc ſoli naturæ relinquere, ac impedimenta ſaltem removere, quibus appetitus imminuitur. Quem in finem commendamus medicamenta ſupra in ſcorbuto præſcripta, quibus adhuc adjicimus pilulas cachecticas ſub introitum lecti aſſumendas.

§. 225. Cura famis caninæ eadem eſto, quæ in ſcorbuto cum parum inter ſe differat fames canina ex ſcorbuto & cachexia

 orta,

orta, nisi quod in hac vehementior esse soleat quam in illo.

§. 226. Pica & malacia si curanda venit Medico Cachexiam curet; hinc vomitoria sunt optima, cum mali causa utplurimum in ventriculo est radicata: Caute tamen procedendum est cum gravidis, quia iis non absque periculo abortus propinantur, speciatim tamen conveniunt omnia ex Absinthio parata medicamenta ut Essentia Absinth. composita, dein omnia amaricantia & stomachica, quæ depravatum fermentum vertriculi restituunt, antihystericis tamen sociata. Sic

℞. Elix. vit. ʒß.
Ess. Abs. compos. ℥j.
Piper. ʒß.
Castor. ʒiij.
Elix. alcal. ʒij. M. D. in Vino Rhenano.

§. 227. Cæterum curam eandem facimus ac in delirio melancholico, & rationibus improbare suscipimus usum insolitorum alimentorum, si tamen rationibus seduci non patiuntur, inopinato ac ipsis insciis varia offerantur alimenta rara, quibus olim delectabantur: objecta enim movent sensus, sic non raro ab insuetis ad consueta deducitur phantasia.

§. 228.

§. 228. In curandis ructibus regimen diætæ omnem fere absolvit paginam; hinc sedulo sibi caveant ab alimentis viscidis aut flatulentis, & frugali prandio cœnaque contenti sint, nec muscarum instar in cibos involent, ac si satias nunquam capere possint, sed bono otio eos masticent, ut salivali menstruo probe commisceantur ac perfundantur: sic enim prima chylificationis fundamenta felicius ponuntur & multarum cruditatum ex quibus malum oritur, collectio impeditur. Sæpe tamen ubi malum radices egit, evenit, ut, licet rationali diætæ fasces submittant, quicquid assumunt in ructus resolvatur; hinc fermentum ventriculi viscidum corrigendum aut eliminandum. Præmittantur ergo digestiva, & vomitorium propinetur, dein medicamentis volatilibus, spirituosis, aromaticis fermentum exaltetur & volatilisetur; formulæ sunt sequentes

Cura ructuum.

℞. Elix. vitæ.
Alcal. an. ʒß.
Spir. ment. ℥j.
Essent. Zedoar. vel Galang. minor. ʒvj. D.

Sumat inde jejuno ventriculo largam dosin ad cochleare unum in vino generoso.

Omni mane potum Theé vel Caffeé ſorbillet, in quo aſſumat pulverem aliquem digeſtivum ex Arcano duplicat. Vitriol. mart. aliiſque quorum jam ſæpius mentionem fecimus. In prandio bonum hauſtum concedimus Elix. aurant. Citri. Antiſcorbutici. Cum varietas delectat Spir. Sal. armon. cum Eſſent. Abſinth. compoſita commendamus. Sic

℞. Spir. ✱ci ℥ß.
Eſſ. Abſ. comp. ʒj. M. D. ad. 60. gutt.

§. 229. Sunt qui commendant olea deſtillata, ut oleum deſtill. aniſi, carui, aurantiorum &c. malumus tamen ab iis abſtinere cum ut ſupra (§. 220.) monuimus, anxietates procreent, & ructuum copiam augeant, ſed ajunt hoc oleis non eſſe imputandum, ſed exinde provenire, quod ab oleis iſtis viſciditates reſolvantur, adeoque anxietates illæ inevitabile ſint conſequens iſtius reſolutionis. Sed reſpondemus Spiritus aut Tincturas ex aromaticis oleoſis non minus infeliciter viſciditates reſolvere & attenuare, absque tamen adeo copioſo ructuum proventu & præcordiorum anguſtia: ſunt enim in iis olea illa jam reſoluta eorumque ramuli latius expanſi, unde inven-

ventriculo tantam non amplius patiuntur expansionem ac rarefactionem, quemadmodum olea illa destillata.

§. 230. Conveniunt præterea omnia antihysterica, quæ in morbis ventriculi ac abdominis nunquam sunt omittenda, si modo commode propinari possunt: Qui enim passionem hystericam curare novit, is plurimis morbis abdominis quoque medebitur. Eadem quoque methodo curantur flatus, nisi quod aliquando Clysma injiciendum.

Cura incubi.

§. 231. Incubi causam radicaliter hærere in primis viis supra ostendimus, quibus ita liberandis digestiva, martialia volatilia, in partes vocabimus. Sic digestiva & vomitoria per se patent. Ut itaque particularum viscidarum dissolutio acceleretur vinum absynthiacum, heleniatum utroque pollice approbamus, cubitum iturus pilulas cachecticas assumat, cum aliquo horum spirituum haustu quorum in curandis ructibus & asthmate mentionem fecimus. Auctor præterea sum omnibus hujusmodi ægrotantibus ut à cœna plane abstineant, somnumque longum arceant. Sic ab hac molestia ipsos immunes fore spondeo.

Cura passionis hystericæ.

§. 232. In passione hysterica vel hypochondriaca duplicem curam instituimus aliam in paroxysmo, aliam extra eum. Id quod obtinebimus remediis nunc externis nunc internis. Illis ægrum quocunque modo refocillamus & excitamus; his acidum ferociens temperamus, & convulsiones spasmodicas, sistimus. Conveniunt itaque volatilia naribus admota in specie spiritus salis armoniaci fortior, qui raro conceptam spem frustrabitur, eritque instar omnium, fiant quoque suffitus ex graveolentibus. Sic

℞. Ass. fœtid. ʒiß.
Succini ʒß.
Ras. C. C. ℥j. M. F. Pulv. Fum.

§. 233. Umbilico & scrobiculo cordis illinantur suaveolentia graveolentibus interdum maritata: ut

℞. Mosch. gr. v.
Ol. Succin. ʒj.
Axung. Castor. ʒß. M.

His addi posset Camphora, quam tamen plurimæ ferre non possunt, adeoque optandum foret, ut à priori peculiaris uniuscujusque dispositio innotesceret Medico. Vel illinatur abdomen Tinct. Ass. fœtid. & Tinct. Galb.

℞.

℞. Spir. Matric.
Tinct. Aſſ. fœtid.
Galb. an. ℥ß.
Ol. Succ. opt. notæ. ʒiij.
C. C.
Spic. an. ʒj. M. illinatur calide.

Super imponatur emplaſtrum ex Aſſa fœtida, Galbano, Caſtoreo, quod operationem aliorum externorum multis modis promovebit.

§. 234. Denique in gravioribus paroxyſmis cataplaſmata calidiſſime applicentur quo antecedentium operatio felicius abſolvatur: parari poſſunt ex herbis aromaticis.

℞. Rad. Zedoar.
Angel.
Gentian. an. ℥ß.
Sem. dauci
Aniſi.
Leviſtic. an. ℥j.

Coque ex Vino cum farina ſecali in conſiſtentiam catapl. adde Spirit. matric. ℥j. Tinctur. Aſſ. fœtid. ℥iß. Ol. Spic. Junip. an. ℥ß. M. F. Catapl. Ex iis quoque parari poſſunt clyſmata.

§. 235. Sunt qui commendant cingu-

lum ex corio humano, alii ex cervino, ad hypochondria constringenda nos tamen nihil specificis iis attribuere possum9: quod enim præstant, sola constrictione præstant, qua hypochondriorum tensiones & abdominis inflationes nimias impediunt & copiosos ructus flatusque exprimunt.

§. 236. Interne in paroxysmo conveniunt volatilia alcalica & opiata, illa circulationem sanguinis augent & prompte sudorem movent, quo utplurimum paroxysmi abrumpi solent, hæc convulsiones tollunt, & inducias cum paroxysmo ineunt. proinde.

℞. Vini generosi ℥iij.
Spir. Sal. Armon.
vol. oleos. an. ʒj.
Tinctur. Ass. fœtid.
Galb. an. ʒß.
Anod. vol. ʒj. M. D. Coch.

Vel: ℞. Elix. vit. ʒvj.
Sal vol. Succ. ℈ij.
Tinct. Matric.
Castor. an. ʒiij.
Croci.
Anod. vol. an. ʒj.
Vini Gener. ℥iv.
Syrupi Cort. Aurant, ℥j. M. D. cochl.

Vel:

Vel:

℞. Salis vol. oleos. ℨiij.
Tinct. Succ.
Castor. an. ℨj. D, in vino gutt.

§. 237. Extra paroxysmum omni ope niti decet, ut cachexiam funditus eradicemus. Conveniunt itaque vomitoria nunquam satis laudanda, quæ pro re nata aliquoties in anno repetantur ad præservationem; habenda tamen ratio est gravidarum quibus si ea propinabis sinistro eventu famam & existimationem tuam temere periculo expones. Præterea insistendum volatilibus gummosis & aromaticis, quibus cruditates acidæ & viscidæ temperantur, inciduntur, attenuanturque. Seq. mixtur. tibi in aurem dixero

℞. Sal. vol. oleos. ℥j.
Elix. propr. alcal. ℥ß.
Vitæ ℨvj. M.

Assumat bis vel ter singulis diebus gutt. 30. ad 60. in potu ordinario.

§. 238. Sumantur quoque singulis septimanis vel mensibus pilulæ cachecticæ ante introitum lecti, quæ visciditates incidunt & incisas blande per alvum educunt. Non ignavam quoq; spondent opem vina

medicata, quorum jam aliquoties formulas tradidimus.

Cura hydropis.

§. 239. Aggredimur jam curam hydropis in qua monemur lymphæ collectionem removere, obstructiones vasorum lymphaticorum reserare ejusque circulationem augere. Pro his scopis obtinendis purgantia præscribuntur, quibus tamen practici veteres & moderni non fidunt, nec absque ratione: causam enim morbi, quæ in lymphæ visciditate ejusque extravasatione consistit, non attingunt; & licet primæ nostræ indicationi satis facere videntur, dum copiosas serositates evacuant, illas tamen debito loco non expurgant: cum enim lympha est extravasata, & in cavitate aliqua fluctuat, illa purgantibus morem non gerit, adeoque serositates illæ ex cavitate sua non evacuantur, sed succus intestinorum nutritius & lympha intestinalis, quæ in vasis suis adhuc continebatur, saltem expellitur. Objiciunt autem tumorem abdominis notabiliter detumescere, unde necessario lympham extravasatam purgantibus auscultare. Sed respondemus: tumorem abdominis non solum oriri à lympha extravasata, verum etiam ab humoribus lento gradu vasa sua perreptantibus, ceu in tumo-

tumoribus pedum œdematosis aut leucophlegmatia videre est: in hac enim humores non sunt extravasati sed testudineo saltem passu in vasis suis circulant, quæ distendunt ac expandunt, prout ex supra dictis patebit; unde si lympha illa copiose dejicitur, abdomen detumescit quidem, sed ad tempus, cum postliminio tumor redit ac incrementum sumit. Præterea cum purgantia causam non attingunt, id est obstructiones vasorum lymphaticorum non reserant, lympham non attenuant, nec ejus circulationem promovent, infelici ausu propinantur: meo namque judicio omnis evacuatio, quæ absque sanguinis humorumque attenuatione instituitur, nociva est; unde illa catharsis secundum Hippocratem salutaris est: quæ leucophlegmatiam critice insequitur, dum ait: Si à leucophlegmatia detentus fortis supervenit diarrhæa, morbum solvit: tum enim circulatio humorum suapte sponte intenditur, stagnationique proximi humores in motu suo propelluntur, ac qua data porta ruunt. Si tamen purgare velis, commendamus pilul. Magistr. Sylvii aut facias id cum elix. alc. & pil. cachecticis largiori dosi propinandis; quibus si alvus primo die non respondeat, altero dosin augeas,

geas, usque dum ex voto fluat. Sic scopo tuo nunquam excides, ac continuato eorum usu alvum servabis apertam, nec primarum viarum digestionem turbabis. Malumus tamen serositates diaphoreticis & diureticis evacuare, quæ evacuando resolvunt ac resolvendo evacuant. Habenda præterea ratio digestionis primarum viarum, cui scopo inserviunt illa quorum jam aliquoties suo loco mentionem fecimus.

§. 240. Ad sudorem provocandum commendamus sequentia volat. & fixa.

℞. Elix. vit. ℥ß.
Tinct. Matric. ℨj. M.

His combinari quoque possunt salia fixa & terrestria.

℞. Antim. diaph.
Sal. Card. Bend. an. ℈j.
Camph. gr. iv. M. D.

Vel:

℞. Corall. rubr. gr. xv.
Sal. vol. succini.
Tart. Vitriol. an. ℈ß. M. D.

His assumtis se ad sudorem componat Hydropicus, quem proliciat ope integumentorum, vel balnei sicci: difficulter enim ad sudorem disponi possunt.

§. 241. Diuretica sunt optima, quæ toto

to die varia sub forma usurpari possunt, eaque sunt vel volatilia, vel fixa. In specie sunt illa. Sal. vol. oleos. C. C. & Succini. Spir. Salis Armoniaci C. C. succinatus & essentificatus. Fuliginis. Allii, Juniperi Bacc. Lauri. Matric. Heder. terrest. & Spir. lumbr. Tinct. Matric. Succini. & Milleped. Elix. Junip. Alcah. Glaub. Salia fixa ut Sal Absinth. Cent. minor. Genist. & Stipit. fabar. Ocul. cancr. Chel. cancror. calc. Ol. Succini Junip. & Thereb. Bals. Sulphur. succinat. vel Therebinth. Arcan. dupl. Tart. Vitriol. Tart. resol. aliaque infinita.

§. 242. Ordinarius potus esto decoctum diureticum & sudoriferum ex Baccis Juniperi. Rad. Contray. Salsap. Chin. Sassafr. Cinnam. aliisque, quæ pro ægrotantis palato variari possunt. Vel vinum cum sale quodam diuretico aut sale volat. oleos. aliquo modo saturatum. Vel pulv. in febribus (§. 104.) præscriptus in aqua fontana sumendus.

§. 243. Externe Balnea conveniunt ex aromaticis nec non inunctiones ex spirituosis, volatilibus, Cataplasmata penetrantia, quæ pedibus & abdomini applicari possunt, ut quovis modo transpiratio

ratio promoveatur; ſed de his jam olim. Faſciis pedes quoque conſtringendi, non eum in finem ut affluxus humorum impediatur, ſed ut fibrarum tonus conſervetur, tardiusque circulantes humores à retro venientibus melius propellantur. Tandem paracenteſin inſtituunt, ſed infelici utplurimum ſucceſſu, non quidem, quod operatio illa ſit infida, ſed quod ut plurimum dum inſtituatur, ubi omnia ſint conclamata. Alii commendant ſcarificationes, veſicatoria, quibus tamen abſtinere ſatius eſt, cum partes vulneratæ difficulter admodum ſanantur & gangrænam facile concipiunt.

Cura Menſium.

§. 244. Vitia menſium deficientium curabimus, curando Cachexiam; unde I. attendendum ad primarum viarum digeſtionem, II. ſanguinem acido-viſcidum ſegnius efferveſcentem, tardiusque circulantem, III. ad vaſa uterina obſtructa & inſarcta humore viſcido. His indicationibus neutiquam ſatisfacit venæ ſectio; diximus enim paulo ante, quod omnis evacuatio, quæ fit absque reſolutione & attenuatione humorum, nociva ſit. Præterea cum fluxus ſanguinis menſtrui eſt inevitabile conſequens efferveſcentiæ aut fermentationis,

nis, quis non videt ſanguinis evacuationem non fore neceſſariam niſi effervescentiam neceſſario inſequeretur, & propter hanc inſtituenda foret? unde venæ ſectione cum fermentationem ſanguinis menſtruam non reſtituit, inutilis exiſtit.

§. 245. Primam indicationem abſolvunt ſalia digeſtiva, vomitoria ſtomachica, quæ cruditates primarum viarum corrigunt ac digeſtionem promovent, quorum cum aliquoties jam olim mentionem fecimus ſicco pede eorum numerum prætèrimus.

§. 246. Secundæ & tertiæ indicationi reſpondent volatilia & ſpirituoſa, diaphoretica & diuretica, nec non uterina dicta, quæ magis ſpecifice huic malo appropriata dicuntur. Notandum autem illa ſpecifica irrito conatu exhiberi, niſi prius univerſalia præmiſſa fuerint.

℞. Elix. vit. ℥j.
Alc.
Tinct. Caſtor. an. ʒij.
Croci.
Myrrh. an. ʒj.
Spir. Salis Armon. ʒiij.

Hujus miſturæ 40. vel 60. gutt. aſſum. in vehiculo calido ter de die & quidem octo diebus ante tempus fluxus ordinarii. Vel

℞.

℞. Spir. Sabinæ ℥j.
Sal. vol. oleos.
Elix. Junip. an. ℥ß. M.

D. aliquoties de die ad 100. gutt. Vel:

℞. Spir. C. C. Succin. & essentif.
Tinct. Succini.
Matric.
Croci an. ʒiij. M.

§. 247. Perinde est, quemcunque horum Spirituum in usum voces, quorum si largiorem paulo dosin in vehiculo calido assumas, sudorem prolicies si pulverem mavis, en formulam

℞. Borrac. ℈j.
Croci gr. v.
Sal. vol. succini.
Chalyb. præp. an. ℈ß.
Ol. Sabin. gutt. ij. M.

§. 248. Externe commendari possunt suffitus ex variis aromaticis & gummatibus utero excipiendi.

℞. Myrrh.
Succini. an. ʒiij.
Bacc. Junip.
Laur. an. ʒß.
Ass. fœtid. ℈ß. M. F. Pulv.

§. 249. Ex decoctis aromaticis appropriatis Balnea parari possunt, quibus ad regionem epigastricam usque insideat, tandem

dem regioni pubis inungantur varii Spiritus, Tincturæ & olea destillata, ut Spiritus Juniper. Sabinæ. Tinct. Succini Ass. fœtid. &c. Cæterum cura eadem esto, ac in passione hysterica.

§. 250. Alterum mensium vitium fluxum scilicet eorum nimium, curabimus sanguinem crassum attenuando acrimoniam acidam temperando, & vasa uterina consolidando. Conveniunt itaque remedia illa in hæmorrhagia narium præscripta, nec non illa, quæ modo in mensibus suppressis præscripsimus camphoratis & opiatis tamen mixta in specie remedia ex Croco Castoreo, Succino, Myrrha, Elix. vit. Tinct. Matric. adeo ut verum sit illud paradoxum: Nimius fluxus mensium eorumque emansio iisdem curantur medicamentis.

§. 251. Tertium mensium vitium iisdem curatur medicamentis quibus eorundem emansio.

Cura fluoris albi.

§. 252. In fluore mulierum albo eadem commendamus remedia, quæ in mensium vitiis commendavimus, quibus superaddimus Therebinthinata, ut Aq. Quercetani, Balf. Sulph. Succin. vel Therebinth. & pil. seq. horis vespertinis sumendas.

℞. Thereb. Venetæ ℥ij.
Myrrh.
Croci.
Castor. an. ʒij.
Ass. fœtid. ℥ß.
Tart. Vitriol.
Ocul. Cancr.
Corall. rubr. an. ʒiij. M. F. Pil.

§. 253. His diligenter etiam in usum vocatis non raro eorum efficaciam eludit rebelle hoc malum nec domari se patitur, nisi gratissimis veneris amplexibus. Finge rem ita esse, mordicus tenendum erit, semen masculinum fermenti vicem supplere, à quo fermentum ovarii otiosum in actum deducitur & exaltatur; quod imposterum sanguinis fermentationem imminutam supra memorato modo iterum restituit. Prætere sub congressu illo nervoso succus nervosus rivulorum instar proruit in partes veneri libatas, in quibus humores corrigit, acidos temperat, viscidos attenuat, imminutamque eorum fermentationem bonis avibus restaurat, iterumque inchoat.

Cura calculi.

§. 254. In curatione calculi instituimus aliam curam in paroxysmo, aliam extra eum. In paroxysmo operam damus, ut symptomata mitigentur, motusque convul-

vulsivi sistantur: Proinde opiata & camphora sunt præsentanea remedia.

℞. Vini malvatic. ℥iv.
Spir. C C. Succinat. ʒj.
Tinct. Castor.
Ass. fœtid. an. ʒß.
Croci ʒiij.
Anod. vol. ʒij.
Camphor. ʒß. M. D. Cochleat.

§. 255. Conveniunt quoque lenientia, ut crocus, opiata, in specie antihysterica aliaque, quæ supra suo loco commendavimus.

§. 256. Extra paroxysmum vomitoria sunt optima, eaque aliquoties repetenda, nec non stomachica & antihysterica primarum viarum cruditates attenuantia, quorum jam sæpius numerum inivimus. Quibus præmissis ad diuretica parata est via: quæ inter excellunt in hydrope commendata, interim omni mane potum suum theé sorbillet æger, attendatque ut diuresis promoveatur, sin minus, spiritum aut pulverem aliquem diureticum in eo assumat, qui tubulos renum apperiat: sic namque urina copiosius profluit, ejus acrimonia temperatur lapillique hinc inde hærentes feliciori sydere protruduntur aliarumque parti-

cularum irregularium cohæsio & combinatio præpeditur loco tamen aquæ fontanæ, quo potus Theé præparari alias solet, commendamus acidulas.

§. 257. Adderem hic nonnulla lithontriptica, sed vereor famam sustineant: quanquam enim impossibile non sit, dari posse talia, quæ absque acrimonia corrosiva saltem linguæ manifesta texturam calculi resolvere & diffringere possint: à magni enim nominis Medicis specifica nonnulla dicuntur observata, quæ texturam calculi dissolverint, ac frustulatim ejecerint. Quicquid sit, in plurimis tamen spem fallunt, quia cohæsio & combinatio particularum non uno absolvitur modo, prout ex supra dictis patet; hinc pro diversa particularum cohæsione, diversa quoq; requiruntur menstrua, quæ texturam calculi resolvere apta nata sunt, prout experimenta chymica indies nos docent. Finge aliquando calculum à specificis istis fuisse dissolutum, tum putandum erit, cohæsionem calculi non admodum arctam fuisse, sed irregulares salium particulas mutuis superficiebus in paucissimis punctis sibi saltem incubuisse; unde facile resolvi & diffringi potuerunt, id quod à potentioribus diureticis quoq; fieri in dies observamus.

§. 258.

§. 258. Ludibrium itaque nobis debent, qui fragmenta calculi excreti variis menstruis injiciunt, ut perspectum habeant, quibus felicius diffringantur & comminuantur; unde cum à spiritu salis, interdum à spiritu nitri dissolvuntur, eosdem quoque assumendos esse sibi persuadent; sed vacillat consequentia. Proinde caveat sibi quisquis ab infidis his remediis, prout supra demonstravimus.

Cura ischuria.

§. 259. In ischuria urinæ suppressio quovis modo removenda. Hinc si illa à spasmodica renum, ureterum, vesicæ aliorumque abdominis viscerum convulsione oriatur, conveniunt opiata aliaq; quæ in paroxysmo passionis hystericæ præscripsimus. Clysmata anodyna injicienda, inunctiones ex oleis destillatis diureticis, spirituosis, & cataplasmata abdomini & lumbis applicanda veniunt &c. Si obstructiones renum urinæ secretionem impediunt, conveniunt diuretica non semel præscripta, præmissis interdum vomitoriis, quæ renes concutiunt, humores quoscunque stagnantes propellunt, obstructionesque removent. Si à calculo renum oriatur urinæ suppressio curanda venit medicamentis jam ante memoratis.

§. 260. Si malum non ex renibus, sed ex

ex vesica est, tum levius est. Externis acrioribus vesica stimulanda; hinc conveniunt inunctiones pubis, perinæi, insessus, fotus, semicupia, comprimatur abdomen cum largiori inspiratione. His in cassum tentatis catheter est præsentaneum remedium, perforat enim obstructiones removet calculum, à quibus orificium vesicæ obturatur. Hunc in modum etiam cadela cerea, therebinthina flexilior reddita immitti poterit. Si à caruncula aut excrescentia urethræ urinæ excretio impeditur, removenda illa est quam citissime medicamentis causticis & corrosivis.

§. 261. Diabetes curatur respiciendo digestionem primarum viarum; hinc conveniunt ea, quæ humores acidos involvunt, viscidos incidunt, & aliquando per vomitum ejiciunt. Sunt itaque gummata, oleosa, præcipitantia, alcalia volatilia & spirituosa, quæ sanguinis coagulationem impediunt, humores acidos temperant & destruunt. Hæc etsi diuresin promovere alias solent, hic tamen imminuunt, cum una utriusque existit causa, diverso tamen sub schemate. His interponantur subinde opiata, quæ renum irritationem vellicationemque sistunt. Diætetica hic sunt

optima,

optima, quæ constant subtili oleoso succo nutritio, quo acrimoniam sanguinis temperant. Proinde lacticinia, emulsiones præcipitantibus mista & cura lactis multum habent in recessu. Quamobrem autem hic affectus cum febri hectica aut pthisi plurimis symptomatibus convenit, hic nihil addam amplius.

Cura icteri.

§. 262. In cura icteri generaliter attendendum ad cachexiam, speciatim autem ad bilis inertiam emendandam, ejusque circulationem promovendam. Hinc præmittantur digestiva & vomitoria, quibus succedant propter pathemata hysterica, stomachica & antihysterica de quibus jam suo loco egimus verbo curare cachexiam, est ipsum etiam icterum curare.

§. 263. Specifice tamen commendantur martialia è quarum numero quoque est lapis hæmatites. Nonnullorumque pulveres cachectici. Inter specifica primas tenet chelidonium majus. Huic succedunt omnia amaricantia & aromatica ut Absinth. Centaurium minus Flores Chamom. Crocus Taraxacum, Curcuma, Marrub. semen Cannab. rub. tinct. agrimonia sapo venetus, ex his variæ possunt

concinnari formulæ, ut plurimum autem parantur sub forma decocti.

℞. Chelidon. maj. m. ij.
Rad. Curcum.
Rub. Tinct.
Sem. Cannab. an. ℥j.
Croci ʒij.
Coq. ex Vini Generos. & aq. Font. an. q. s.

§. 264. His decoctis tamen consulto præfero Essent. Absinth. compos. Elix. vit & alcal. Tinct. Croci Spirit. Sal. Armon. & Sal. volat. oleosum, quæ non minus appropriata ac specifica sunt, quam decoctum tale ægris nostris nauseosum: hodierna namque praxis delicatos jam ægros fecit, nec sapiunt ea, quæ olim sapuere.

§. 295. Ad dissolvendam calculosam bilis concretionem specifice commendatur succus graminis ejusque decoctum: docuit hoc experientia in ovibus, quæ tempore hyemali alimentis exsiccatis saltem sustentantur, in quibus deficiunt nonnullæ particulæ volatiles, quæ ad fermentationem perennandum maximopere sunt necessariæ; hinc sanguis earum crassior & vi-

viscosior redditur, fermentaque ab eo secernenda itidem crassiora, minusque spirituosa existunt. Proinde fieri facile poterit, ut bilis viscosior crassior, minusque fluida in calculum concrescat; qui iterum dissolvitur, ubi ineunte vere herbis recentibus vescuntur, quæ cum sale volatili omnibusque particulis ad fermentationem subeundam necessariis, turgent nova sanguini fermentisque introducitur fermentatio, unde quasi reviviscunt. Commendarem itaque ictericis etiam succum graminis herbarumque viridium, sed cum miserum est gramine vesci nostraque conditio illud despicit non ægre ipsi substituo, alimenta recentia nec non illa quæ fermentationem quidem inchoarunt, ad finem autem nondum perduxerunt, qualia sunt cerevisia recens defœcata quidem sed non in totum, vinum novum maturum tamen, quo solo novi ictericum trimestrem omnibus aliis remediis irritis feliciter fuisse curatum.

§. 266. Tandem ad Diætam properamus generalem, quæ in particularibus cachexiæ morbis pro circumstantiarum ratione varie potest institui, à judicioso Medico. Si ullibi namque certe hic ratio vi- *Diæta.*

 ven-

vendi multum habet in recessu, adeo ut asserere haud erubescam, sola ab omnibus acidis, viscidis, muriaticis abstinentia, frugalitate & inedia gravissimos nonnullos cachexiæ morbos funditus exstirpari posse. Quid vero ego mirer mali hujus contumaciam, cum effrænata homines libidine transversim acti, illam qualem qualem voluptatem vel titillationem in papillis nerveis gustui dicatis ab istiusmodi acidis excitatam, quam maxime capiunt; unde illibatæ sanitati inaudito ausu plurimum nocent. Quæ cum ita sint caveat sibi quisquis ab omnibus acidis, quæ male alias inter optima cibi condimenta referuntur, nisi volupe tantillum voluptatis gravissimo luere supplicio. Jubeamus proinde illos, quibus acida sunt in deliciis suas res habere, nec insanis eorum dicteriis, Medice vivere est pessime vivere, à recte faciendi proposito vel transversum unguem deturbare nos patiamur. Nec moveamur exemplis eorum quibus bene ad seram ætatem cesserunt. Cibi sint boni succi, hinc carnes juniorum animalium, Gallinæ, turdi, lepores sua se præstantia commendant. Juscula bene aromatisata laudamus, columbæ, agni, capones vel cocti vel assati


co-

eorumque juſcula aromaticis condita in familiari ipſis ſunto uſu. Fumo indurata, ſalita, atro carbone notamus, relegamus à menſa omnes omnino piſces. Sinapi & cepas vitare nonnulli jubent, ſed cum rationem reticent, præjudicii alicujus notam non effugiunt: cum vero ſale volatili conſtant, eoque penetrantiſſimo acidique domitore potentiſſimo, neutrius uſum improbamus. Raphanus quamvis & ille ſale ſuo volatili ſe commendare videatur illi tamen major particularum terreſtrium, otioſarum copia exponitur, qua ſalis volatilis præſtantia ſupprimitur ac otioſa redditur. Aër frigidus, nebuloſus, pluvioſus vitari ac ſuffumigiis corrigi debet. Exercitationes corporis ſint modicæ; à paſtu nimis intenſæ detrimenti ſunt. Somnus & vigiliæ mediocritatis terminos non excedant. Caſte veneri aliquando indulgere licet, ſed ne quid nimis. Senex quidam capularis juvenculam duxit in matrimonium, hujus glorioſus, ſed immeritus miles, ardori reſponſurus medicamento effœtas vires ſuffulciit, ſicque totus in voluptatem effuſus, tamdiu ſtrenue ſe geſſit, donec ad genua Dominæ ſuæ provolutus, tumu-

tumulum in thalamo invenit, exemplumque reliquit posteris senilis stultitiæ; alterius ergo damno qui sapit, ille sapit. Tandem sileant quoad illius per humanam imbecillitatem, licet perturbationes animi, mœror, ira, sollicitudines, curæ, ad orcum furiæ hæ ablegentur, unde ortum duxere.



DE



DE CATHARRO QUARTO MORBO CARDINALI.

§. I.

DEvolvimur jam ordine ad quartum morbum Cardinalem, Catharrum ſcilicet, quo nomine intelligimus obſtructiones in variis corporis partibus, ortas ab injuriis externis, quæ humores incraſſant, ac interdum plus minusve perturbate commiſcent; unde prout Catharrus nunc hanc, nunc illam partem occupat, aliam ille atque aliam præ ſe fert faciem, aliamque ſortitur denominationem. Quo ſpectat tritum illud

lud si fluit ad pectus, dicatur Rheuma Catharrus. Ad fauces, bronchos, ad nares esto Coryza.

§. 2. Quicquid itaque tubulos obstruere, humorum circulationem impedire perturbatamque mixtionem inferre aptum natum est, illud omne Catharrum producit: primario tamen hic accusamus omnes causas frigidas & interdum calidas, quæ diversimode humores incrassant.

§. 3. Has inter familiam ducit aër, qui non potest non pro diversa sui natura indefinitis modis corpus nostrum afficere. Obvolitat namque in aëre bene constituto sal quoddam volatile singularem cum sanguine nostro affinitatem agnoscens. Huic purpuram suam sanguis, succus nervosus subtilitatem, omniaque corporis nostri fermenta activitatem suam debent. Istud ipsum sal suos jam manes, variasque patitur alterationes pro diverso diversi ætheris influxu. Hinc cum & aliquando adeo corrosivam acremque naturam induit, ut viatorum nares & labia turpiter exedat, volatilitatem & subtilitatem suam retinere non potest, nisi à subtili materia circa proprios axes velocissime rapidissimeque rotetur,

tur, quo sic omnes cuspides & anguli abradantur & comminuantur, donec illud ad extremam subtilitatem redactum, figuram spæricam aut ad illam proxime accedentem induerit. Dum illud ita se habet, proclive est divinare, quam egregios sal illud in sanguine nostro sortiri debeat effectus. Quod si parcius materia subtilis influit, languidiusque hoc sal agitet, recedente à sole terra in alias particulas incidet, quæ cum similiter tam prompte non moventur, societatem cum illis inibit prementibusque globulis secundi Elementi corpus irregulare, angulosum terrestre constituet, quod sanguini nostro communicatum, eum condensabit invisamque catharrorum scenam aperiet. Fieri interim tamen potest, ut sanguis tam valido per vasa sua feratur motu, particulis volatilibus cumulatim fœtus, ut ab his crassis acribusque particulis neque sistatur, neque ullum detrimentum capiat. Ast si contrario modo res sese habeat ut in cachecticis & scorbuticis, in quibus sanguis tardius circulatur vel in iis quorum tubuli jam ita intorti & dispositi sunt, ut istiusmodi particulis facilis detur aditus, id quod evenit iis, qui aliquoties Catharro afflicti fuerunt, non difficulter cognoscitur,

istius-

istiusmodi hominum infelix fatum esse & cum Catharris nusquam non colluctari.

§. 4. Aër frigidus pluviosus, nebulosus, ac frequentes & subitaneæ cœli mutationes quid in perniciem nostram machinentur, nec non frequentes caloris & frigoris vicissitudines, in dies nos docet praxis: Nunquam enim facilius coagulantur humores, quam ubi semel ebullierint, sic aqua prius calefacta citius congelatur, quam quæ calorem experta fuerat nullum: Ratio est quod in ista particularum agitatione, in qua calor consistit, ingens sit facta particularum volatilium & subtilium jactura, quæ coagulationem vel congelationem impedire poterant; nunc vero iis abactis prono in utramq; ruunt passu. Hinc aureum est illud monitum caput & pectus diligenter pannis muniantur, ut tamen nec frigeant, nec æstuent nimium modum tenere prudentis est.

§. 5. Singulare autem plane est altioreque indagine dignissimum, quod certis nonnullis anni temporibus, ut ut cæteroquin diætæ legibus congruenter vixerint, Catharris atrociter convellantur. Cum vero hoc non huic, aut illi solum, sed

plu-

plurimis epidemice contingat, communem hujus phænomeni causam excogitare oportet. Nobis stat hæc animo sententia: tam notum est, quam quod notissimum, præter subitaneas cœli mutationes in terram pro diversis sole cum planetis situ conjunctione aliam atque aliam fluere materiam subtilem, quæ diversæ figuræ salia ex ejus visceribus evocata, aëri communicat, cum quo illa per inspirationem in asperam arteriam, postea in pulmones vel per necessariam in corporis tubulos pulsionem sanguini infusa volatiles ejus particulas figunt & incrassant, oleosas & balsamicas particulas exasperant, spiculisque armant, cumque istæ propter irregularem suam figuram extantesque hinc inde eminentias angustos quosque canaliculos subire non possint, stagnant, obstructionem pariunt, catharrisque obstetricantes manus mutuantur.

§. 6. Potus frigidus nunquam, non nocet; hinc ille mille malorum non ultima existit causa prout ex infra dicendis clarius apparebit: impedit enim fermentationem in ventriculo ac motum sanguinis rapidissimum in quo vita nostra consistit; humores condensat, eorumque effervescen-

tiam ac calorem imminuit, imo gelidam mortem, præprimis si corpus exagitatum aut delassatum fuerit, sæpius anticipat. Non difficile est horum causam divinare. Consistit namque frigus in quiete aut minori agitatione particularum, quæ dum minus agitatæ humoribus nostris calidis celerrimo motu agitatis confunduntur, non possunt non horum agitationem imminuere, dum aliquot gradus agitationis ab his accipiunt, & materia subtilis, quæ particulas sanguinis nostri celerrimo motu agitabat, jam & illas potus frigidi in minori motu constitutas iisdem viribus simul agitare opus habet: unde illa necessario sanguinem minori velocitate agitabit, ceu videmus aquam ebullientem non amplius ebullire si tantillum frigidæ ei admisceatur. Dum itaque agitatio sanguinis remittit, sensim sensimque transpiratio impetitur, & materiæ subtili aditus præpeditur ad sanguinis agitationem feliciter perennandam; hinc in fatalem tandem descendet sanguis stagnationem.

§. 7. Qui in aëre calido, suffocativo, & solis radiis æstuante diu degunt, aut crebrioribus exercitiis corpus suum delassant,

iti-

itidem Catharro affliguntur: ſic enim à materia ſubtili vehementiſſimo motu agitantur particulæ ſanguinis, cujus ſubtiliores illa ſecum abripit ac in fugam conjicit, craſſioribus relictis, quæ involucris & portatoribus ſuis deſtitutæ, hærent in tubulis obſtructionesque pariunt.

§. 8. Has cauſas generaliter innuiſſe ſufficiat, quas in ſpecie tamen infra clarius deducemus. Notandum autem, nos illud omne pro Catharri cauſa habere, quod per externas cauſas imprimis frigidas vel calidas in corpus noſtrum agere aptum natum eſt, quarum innumera cum ſint ſchemata, ſpeciatim hic de iis agere ſuperſedemus.

§. 9. Proximum jam eſſet, ut inquireremus, qua ratione ex obſtructione tubulorum, humoribus incraſſatis perturbata oriatur humorum mixtio, verum cum paulo infra negotium hoc pertractare ſuſcepimus, illud jam data opera prætermittimus.

§. 10. Pergimus jam ad primarios Catharri morbos explicandos, ad quorum- *Gravedo & coryza.*

 clas-

classem strictiori sensu pertinet gravedo & coryza. Quarum si causam rimemur, jam lippis notum est & tonsoribus, quicquid è vaporibus ex stomacho sublatis pro Catharri aut defluxionis materia gariunt, aniles fabellas sapere: Quis enim credat cerebrum vapores ex inferiore ventre attrahere, eosque instar alembici cucurbitæ super impositæ condensatos colligere, humores vero ex vaporibus natos in partes subjectas iterum depluere? Anatomiæ peritis liquido constat, materiam catharralem à cerebro ad fauces, palatum, vel nares delabi nullo modo posse, quia viæ hic nullæ patent, nulli meatus, nulli canaliculi detegi queunt, per quos tanta viscidorum humorum saburra deferatur & excernatur. Ut vero curiosis sciendique desiderio flagrantibus ex'asse fiat, satis evidentissime demonstrabo, aquam in ventriculis cerebri congestam, neque per os cribriforme in nares, neque per glandulam pituitariam in palatum, ut creditum fuit hactenus destillare.

§. 11. Supponamus humorem quendam per infundibulum in glandulam pitu-

pituitariam deponi, tum vero tantum abest, ut inde per nares excerni debeat, ut potius quicquid ibi appulit, per ductus quosdam ad sanguinem amandetur.

§. 12. Facem nobis præfert sequens experimentum. In capite vitulino os cuneiforme sub glandula pituitaria positum multis conspicuum esse meatibus, qui paulo profundius penetrantes in duos ductus abeunt, os cuneiforme ex utroque latere perforantes, & in venas jugulares utrimque desinentes: quod si ergo lac, vel atramentum in meatus hos siphone injicias, dictum factum jucundo spectaculo intumescere vides venas jugulares; circa palatum vero, nares, os, fauces & laryngem ne vestigia quidem tincturæ animadvertes: manifesto documento, omnem illum profecto à cerebro humorem totum iterum à venis absorberi. In cranio humano idem experiri licet; ut ut enim os cuneiforme in calvaria humana glandulæ pituitariæ subjectum perforatum non sit, alios tamen ductus cernere est, queis omne serum

ſuperfluum in ſanguinem iterum deriveatur: duo quippe vaſa ex utroque ſellæ turcicæ latere conſita ſunt, quæ hiantibus ſuis oſculis omnem aquam à glandula pituitaria deſtillatam excipiunt & in venas jugulares utrinque extra calvariam deponunt, quorum ductus facile patebunt, ſi aqua aut lac è ſiphone in venam jugularem utramvis prope calvariam vi quaſi injiciatur: illicet enim liquor injectus prope glandulam pituitariam erumpet & tanquam ſcaturiet: evidenti argumento quicquid ſeri ex cerebri ventriculis atque per illos per infundibulum ſecernitur, non effundi in palatum ſed in ſanguinem denuo confundi eidemque iterum commiſceri. Per os vero cribriforme nihil ad nares deſcendere, ipſius partis conformatio ſatis arguit: quanquam enim in aridis calvariis foramina iſtius oſſis aperta & pervia videantur, in vivo tamen animali à nervis & membranis è proceſſu mammillari utrinque prodeuntibus plane implentur & infarciuntur.

§. 13. Cæterum humorem intra proceſſus mammillares contentum ipſos non per-

permeare & transire, clarius innotescit, si ipsorum substantiam conformationem & usum paulo diligentius scrutemur. Constant omnino substantia medullari in qua procul dubio succus nervosus hospitatur; unde in nervos ab ea exortos & in nares implantatos excurrit. Quod si aqua in cavitate processuum contenta per medullarem ipsorum substantiam in nares transeat & exstillet, necesse est, ut per nervos fluat & eorum corpora pervadat, sed quid interim de olfactu fiet, ubi ejus organa assidue tali humore perfunduntur & inebriantur? Denique ad exportandos cerebri ventriculos & humores inde evacuandos, si processus mammillares formati sunt, quid rei est, quod in humano cerebro vitulinum magnitudine superante hi ductus vel decuplo exiliores conspiciuntur. In cerebro enim humano adeo exigua aut nulla est horum processuum cavitas, ut & manuum dexteritatem & oculorum acumen illudat. Ex hisce omnibus conficitur imaginariam illam destillationem in auras evanescere.

§. 14. Sed videre mihi videor nonnullos ægre ferentes famosæ hujus opinionis proscriptionem, quin imo febriculosis rationibus opinionem suam adstruere præsumunt. Tantæ enim molis est inveterata quæque à teneris unguiculis in sinu fovimus præjudicia excutere. Videamus ergo cujusmodi sint illa.

§. 15. I. Ajunt gravativum capitis dolorem præcedere Catharrum vel comitari, eodemque tempore obstructionem in narium radice palam observari. Nonne jam obesæ naris foret, qui non suboleret, hoc inde oriri, quod os cribriforme ab humore pituitoso ita obstruatur, ut vix ac ne vix quidem citra difficultatem aliquid à cerebro ad nares transmitti possit?

§. 16. II. Quid quod Catharro obsessos somnus laboriosus & turbulenta insomnia fatigare solent, quis jam non videt cerebrum molesto onere esse obsessum, quo se per infundibulum istud celebre liberare posset?

§. 17. Sed respondemus: committitur

tur fallacia non causæ ut causæ. Dolor capitis gravativus qui vel præcedit, vel comitatur gravedinem aut coryzam, oritur ab obstructionibus: Dum enim sanguis à causa externa condensatus, crassus viscidusque per arterias ad membranam internam narium appellit in ejus tubulos lympham quandam deponit, quæ cum crassior sit acidoque sale imprægnata subsistit, vasa distendit, tandem perrumpit; unde fluxus quem Coryzam, aut generali nomine Catharrum vocamus. Hoc dum fit, idem sanguis loco subtilium particularum crassas & viscidas secum ad cerebrum rapit, quæ in tubulos deposita obstructionem pariunt & premendo dolorem gravativum, insomnia turbulenta, aliaque mala producunt, quæ propterea phænomena nihil aliud indicant, quam quod cerebrum eadem simul causa afficiatur.

§. 18. Instant alio argumento desumto à subitanea refocillatione ab odoriferis percepta, id quod fieri non posset, nisi effluvia ad cerebrum usque pertingerent, interveniente hoc osse cribroso?

§. 19. Respondemus autem laborare hoc argumentum morbo quodam, non

valet consequentia: Illa effluvia extra cranium sanguini communicata vigorem illi addunt, & alacritatem illius cæterorumque humorum motum intendunt; unde & ipse succus nervosus valide impulsus recollectis viribus, stimuloque excitatus alacrius munia sua obit. Dein posito particulas istas volatiles penetrare per os illud cribriforme, dum nervis olfactoriis se insinuant, inde tamen non conficitur, vias illas etiam humoribus serosis esse patentes.

§. 20. Sed adhuc instant caput præ aliis corporis partibus defluxionibus maxime esse obnoxium. Iterum vacillat consequentia, totum caput infinitis constat glandulis, prætereaque magis, quam reliquum corpus aëris patet injuriis. Quam facile jam fieri potest, ut à frigido aëre frigidis integumentis præprimis si caput desudatum est, existens in his glandulis lympha incrassetur, subsistat, obstructionemque pariat, suique defluxionibus fenestram aperiat.

Convulsiones, apoplexia.

§. 21. Ex his obstructionibus seu humoribus inspissatis, si acres, acidi fuerint oriuntur convulsiones, si viscidi & nervorum principia obstruuntur, apoplexia vel paralysis producitur. Quas etiam fumum car-

carbonum, & ſpirituum mineralium aliquando produxiſſe legimus: Conſtant enim particulis acidis & ramoſis viſcidis, quæ ad ſanguinem inſpirando propulſæ fermentationem ejus non modo imminuunt, ſed plane ſufflaminant; hinc ſuccus nervoſus generatur, munere ſuo fungendi ineptiſſimus, adeoque excurrere impotens ad motum ſenſumque præſtandum, ſiſtitur, prout ſupra demonſtravimus.

Hydrocephalus.

§. 22. De hydrocephalo infantibus familiari jam ſupra egimus ubi de hydrope.

Ophtalmia.

§. 23. Nunc ophtalmiæ indolem ſolita brevitate indagare fert animus. Eſt vero ophtalmia inflammatio membranarum oculi, cum tumore, rubore, pulſu & lachrymis. Membranæ oculum inveſtientes nihil aliud ſunt, quam plurimorum tubulorum exilium flexuoſis gyris contextum aliquod.

§. 24. Deferunt in hos, tanquam extremitates ſuas arteriæ ſuccum quendam lactiformem particulis ſubtilibus conſtantem, omniſque acrimoniæ ſatis expertem, quo ſic commode illos ſubire & per vaſa lymphatica ad cor revehi poſſit.

§. 25. Quod ſi jam ille craſſior & viſcidior

dior ſit, inſuperque particulis ſcindentibus & pungentibus turgeat, moram nectit: premente vero & retro appellente ſucco, tubulos dilatat, qui finitimos anguſtando in iisdem ſimiliter ſtagnationem ſuccorum producunt; hinc humores affluentes hærere coacti ingentem tubulorum ſeriem extendunt & in molem efferunt; unde tumor & tenſio.

§. 26. Facta obſtructione ſanguis inoffenſo pede & libere fluendo prohibitus, tardius quam par eſt incedit, ideoque diſtendendo parumper vaſa ſua, rubedinem ſuam oculis repræſentat. Particulæ ita ſtagnantes, itidemque vehementer compreſſæ, adeo anguſtos inter ſe poros formant, ut non niſi intortis poris materiam ſubtilem admittant, cujus rapidiſſimo motu abreptæ particulæ ſcindentes & pungentes dolorem inferant, ſicque perturbatam mixtionem incurrant.

§. 27. Tubuli ita turgentes premunt arterias, unde fortius pulſant, cumque tandem poſito hoc obice plus advehitur, quam revehi per vaſa lymphatica poſſit, ruptis & exeſis acrimonia ſuccorum tubulis elabitur lympha; unde lachrymæ.

§. 28.

§. 28. Inter causas remotas primarium sibi locum vendicat aër frigidus, quatenus tubulos coarctat & constringit, acidoque suo & anguloso sale lympham coagulat, nec non aqua frigida ad malum hoc producendum non parum contribuit, si ea creberrime lavantur oculi. Omnia acria, acida, corrosiva oculis nocere apud omnes in confesso est: invertunt enim tubulorum ordinem, intorquent eos, lancinant & corrodunt; unde illi in cincinnos ita resilientes obicem objiciunt affluenti succo, qui mora acrimoniam contrahens convellendo & agitando fibrillas nerveas hoc malum prædicto modo producit. Conferunt etiam ad malum hoc producendum studia & lectiones in multam noctem institutæ; quamvis & dispositio hæreditaria multum hic valeat.

§. 29. De morbi hujus eventu solliciti ægrotantis vota expleamus oportet. Quanquam nullum hic vitæ periculum immineat, ubi tamen inveteratus fuerit, infinitis calamitatibus mactare miserum solet, nullis fere remediis curabilibus: Ita enim in œconomia nostra ratum est fieri, ut extremitates arteriarum, vel tubuli semel intorti, vel vitiose figurati, nisi in tempore restituantur, longa mora jam stabilitatem aliquam,

fir-

firmitatem vel callum sibi contrahant, quo in statu necessario permanere coacti, non nisi irregularis figuræ particulas transmittunt: quid quod ita distorti vel vitiose figurati non possint non hinc inde angulos formare, in quibus hærentes particulæ summamque acrimoniam consecutæ, præterlabentem succum itidem inficiant, non aliter ac tantillum fermenti totam massam farinaceam fermentat in suique acorem convertit, mutatque. In puerulis scorbuticis, cachecticis senibusque capillaribus curatio difficilior est, quia in iis sanguis crudis acidisque particulis turgidus tardius lentiusq; fertur, ideoque omni fere momento in his vel illis tubulis fatalem minatur stagnationem. Quo acutiores sunt particularum stagnantium acies, h. e. quo acidum istud est magis corrosivum, & perturbata mixtio major, eo plus portenditur periculi. Hæ particulæ si diutius sæviant, pupillæ tabem, oculi visusque destructionem: verbo incurabilem cœcitatem pariunt. Si inflammatio attenuatis particulis & per insensibilem transpirationem abactis dispallescit, bonum: quod si ad suppurationem tendet, oculo fatale; id vero tum demum accidit ubi

ubi lympha admodum corrosiva est, tubuli plane obstructi & disrupti.

Inflammatio aurium.

§. 30. Sicut oculi ita & aures à Catharro sua fata & suos patiuntur manes. Dilaniat vexatque illas aliquando immanis dolor ortus à particulis stagnantibus perturbate mixtis, acidis & scindentibus tubulos ejus distendentibus & inflantibus.

§. 31. Malum hoc flocci faciendum non est, quo symptomata sunt atrociora, eo plus subest periculi. Si dolor junctus est febri, eumque presso pede insequuntur vigiliæ, convulsiones, deliria, lipothymiæ, omnia sunt conclamata, morsque præ foribus.

Tinnitus, sonitus & obauditio.

§. 32. Auditus variis modis lædi potest, vel enim depravatur vel imminuitur vel tollitur. Depravatur in sonitu & tinnitu aurium; imminuitur in obauditione, tollitur in surditate. Tinnitus proprie dicit perceptionem sonitus acuti tremulique vernacula **das Klingen.** Sonitus strepitum quendam inconditum alias **das Sausen und Brausen der Ohren.**

§. 33. Oritur hoc malum quotiescunque tympanum, nervulus Auditorius vel ejus continui surculi commoventur à quacunque causa. Si sanguis ab aëris injuriis in-

incrassatur, in meatus auditorii arteriolis particulas quasdam demittit, à quibus tympanum obsessum assidue pulsatur quasi; unde motus ille, quem tinnitum vocamus. Poris etiam tympani obstructis vapores per insensibilem transpirationem omni momento surgentes in auris cavitate morantes & evaporare prohibiti impetum in tympanũ faciendo malum hoc producunt. Evenit insuper, ut detorta male vasorum oscula transmittant in tubulos particulas crassiores; unde obstructi premunt nervulos, motusq; talis sensationem in mente excitant.

§. 34. Nunc etiam hypochondriaci & scorbutici sæpissime ex improviso molestum hunc affectum incurrere solent: ex nulla alia causa, quam quod acidis viscidisque particulis refertus sanguis lentius moveatur, sicque in his illisve tubulis stagnare plus quam aptus sit. Prout nunc fortius nunc debilius concutitur nervulus auditorius & tympanum, diversi sonitus, nunc fremitus nunc sibili, nunc murmura surgunt.

§. 35. Quemadmodum vero vertigo à solo motu circulari succi nervosi citra omnem causam externam oritur, adeo ut omnia objecta externa in gyrum agi videantur:

antur: Sic & aliquando tinnitus aurium naſcitur à ſola perturbatione ſucci nervoſi auditus organis belle & rite habentibus. Contingit hoc in epilepſia, delirio, phreneſi, vertigine, ubi ſuccus nervoſus corroſivis particulis involutus nervos ſpasmodice concutiens in ejusdem calamitatis ſocietatem trahit nervulos auditorios, quibus ita concuſſis, mens ſecundum conſuetudinem judicans tinnire aures putat.

§. 36. Ut omnium cauſarum brevem ſummam ineamus, dicimus tinnitum oriri à tardiori circulatione; à vaporibus vel acidioribus vel craſſioribus; à ſucci nervoſi nimia acrimonia vel craſſitie, à ſuccorum in aurium membranis ſtagnatione; unde illi acriores redditi vellicant & commovent fibrillas nerveas; quare ſuccus nervoſus verſus cerebrum preſſus & compulſus ſonitum hunc producit.

§. 37. Obauditio oritur, ubi nervus auditorius difficilius movetur, fit hoc vitio auris externæ ubi abſciſſa eſt, vel meatus auditorii non nihil vel plane obſtructi, vel ab externis vel internis illapſis, vel cerumine vel vitio ſuccorum tubulos fini-

timos obstruentium & distendentium; adeo ut nervuli auditorii inde nimis pressi sonitum transmittere nequeant.

§. 38. Totalis fere surditas oritur, ubi vel nervus oticum riget vel plane immobilis est, vel in eo contentus succus stagnat, id quod fit in paralysi, si ille à crasso aliquo humore obstructus est, vel succus nervosus viscidior sit, vel ab aliis vicinis partibus ita prematur, ut succo nerveo omnis omnino denegetur transitus. Sic in inflammatione aurium sanguis stagnans & incrassatus aliique humores extravasati & excrescentiæ carnosæ vel spongiosæ prement nervum auditorium, quin & casu ab alto nimioque sonitu ruptis vasis excussus humor obstruere nervum opticum potest. Defectus succi nervosi surditatem parit; sic animam agentes & audiendi & videndi privantur potestate. Cerumen si justo diutius retineatur, duritiem sæpe petrosam contrahit, cumque sic tremulus aëris motus ad nervulum auditorium pervenire nequeat, surditas oritur.

§. 38. Adjecimus hic alias etiam hujus mali causas præter eas ex Catharro ori-

oriundas eo, quod hæ utplurimum ſunt cauſæ procatarcticæ, quæ illas in actum deducunt.

§. 40. Tinnitus leve malum eſt, quodque vel ſuapte ſponte evaneſcit, imprimis in malo hypochondriaco. Si ingratam moram nectit, obauditionem vel ſurditatem poſt ſe trahit. Strepitus vel murmur difficilius tinnitu curantur. In Senibus Apoplexiæ vel Paralyſis nuntius eſt. Surditas à vehementi concuſſione capitis, lapſu, ictu, organi nervique auditorii diſpoſitione præternaturali incurabilis eſt.

Dolor dentium.

§. 41. Dentium dolores oriuntur à vellicatione, roſione, tenſione vel ſaltem vehementiori commotione nervoſarum, membranacearum dentibus adjacentium per eorumque ſubſtantiam diffuſarum propaginum. Nefandi vero hujus vellicationis Auctores ſunt particulæ cuſpidatæ, anguloſæ, irregulares circa nervoſam dentium partem hærentes, fibraſque criſpantes, rodentes & findentes. Hæ vero particulæ naſci deponique hic facile poſſunt, ubi ex Scorbuto vitium contraxere dentes vel carie ſint affecti vel tartaro quodam obſeſſi. Quan-

doquidem enim tum lympha iter ſuum per tubulos recta & absque offendiculo perficere nequit, ſubſiſtit, acrimoniam contrahit, atque ſic rodendo horrendas dolorum faces accendit. Porro ipſe ſuccus nutritius dentium per arterias in tubulos propulſus ſi corrumpitur vitioſumque acorem contrahit, doloroſam nervorum criſpaturam producere poteſt. Corrumpitur ab intenſioris frigoris admiſſione, ſive id aëris aſperioris & nebuloſi inclementia, ſive potu frigido aut glaciali juſculo adhuc calidis dentibus, introducitur: tum enim lympha coagulata ſubſiſtit tandemque acrior facta vellicando dolorem parit. Quare mirari deſinemus, incolas maris Baltici alioſque populos ſeptentrionales doloribus dentium tanquam malo endemio expoſitos magis eſſe aliis, qui vel propter aëris clementiam, vel quod dentium nitori ſtudeant à carie, aliiſque dentium vitiis immunes degant.

§. 42. Hæret nonnunquam inter dentes imprimis carioſos portio quædam vel cibi vel potus, quæ mora acorem contrahens fermenti inſtar inficit advectum

ſuc

succum nutritium; unde sine fine crudelis sævit dolor nec propulsari se patitur quamdiu fermentum istud in dentis cavitate nidulatur; adeoque nonnunquam præstantissimis medicamentis spem nostram frustrantibus, non nisi dentis eradicatione & fermentum & dolorem tollere funditus licet.

§. 43. In massa sanguinea oberrare sæpius possunt particulæ acidæ, corrosivæ, quæ ad radicem dentium depositæ, istiusmodi dolores producunt. Sic scorbutici & lue venerea affecti immani dolore dentium miserrime sæpius mulctantur, non nisi à particulis viscidis & corrosivis ad membranam dentium nervosam propulsis orto.

§. 44. Quod si particulæ istæ corrosivæ diutinam hic jam moram contraxerint, tubulisque exesis & ruptis cavernulas sibi quasdam formaverint, ova una cum cibis assumta circa alveolos dentium vel fibras gingivarum laxiores deponuntur, calore accedente blando vermes excluduntur, qui rodendo & exedendo fibras tristem in mente sensationem doloris producunt.

§. 45. Affectus hic utut per se lethalis non sit, possunt tamen eundem excipere turpi matre longe turpiores filii; inflammationes febres, convulsiones, deliria. Curatu facilior est, quem error externus introduxit, difficilior, qui scorbutum habet comitem. Quod si inflammationem junctam habet, eaque ad ipsum caput serpserit, insuper totum genus nervosum ab iisdem continuo irritetur, difficillimus est. Solvitur hic morbus nonnunquam, sed malo omine, dum in febrem degenerat. Si in gingivarum genæque tumorem abit, bonum: est enim illud evidentissimum argumentum succum illum acrem non amplius ad dentes deferri, sed in gingivarum tubulos præcipitem dari, qui paulatim in tubulis istis majoribus facilius resolvitur. Asterisco notanda singularis Tymæi à Guldenkle historia de Nobili quodam: qui cum inter vehementissimos atrocissimosque dentium dolores in fletum erumperet, nec ab illo ullo modo temperare sibi quiverit, sublata tandem largissima hac lachrymarum profusione, omni se dolore liberatum animadvertit.

Angina.

§. 46. Angina est inflammatio Laryngis, Pharyngis omniumque partium in imo

imo faucium ſitarum, cum dolore, reſpiratione difficili, deglutitione impedita, febreque continua. Oritur ſi ſuccus ille lacteus vel lympha, quæ per tubulos faucium ad vaſa lymphatica transgredi debebat, ſtagnat particulæque perturbate & diverſo ordine horſum vorſum, ſurſum deorſum, dextrorſum ſiniſtrorſum à materia ſubtili agitantur, plane eodem modo atque quisquiliæ in radiis ſolaribus inter ſe volitare ſolent; unde nihil aliud, quam perturbata particularum mixtio aut inflammatio faucium prodire poteſt, quam Anginam vocamus. In propatulo ſic reor eſſe inflammationem hanc præcedere neceſſario debere obſtructionem: Iſtiusmodi obſtructio vero nunc ab externis frequentius, nunc ab internis producitur, & ſic ſymptoma eſt febris, adeoque tum pertinet ad morbos ex perturbata mixtione ſeu febre oriundos: præprimis ſi per paroxyſmos affligit. Facile namque fieri poterit, ut in perturbata ſanguinis mixtione particulæ rigidæ, angulares & perturbate mixtæ ad faucium tubulos deferantur, iisdemque pertinaciter inhærendo ſucco affluenti obicem ponant, unde non modo fibræ diſten-

duntur, musculique gulæ cum glandulis adjacentibus intumescunt, sed & quod per obstructos poros non nisi materiæ subtili transitus concedatur, ipsa inflammatio sequatur; necesse sit.

§. 47. Inter externas causas accusamus aërem frigidum, pluviosum & nebulosum, annuente nobis Hippocrate. Assiduis imbribus præter alios morbos etiam fiunt anginæ Tempore autumnali & vernali regnant vaganturque in aëre particulæ hamatæ, acutæ, pungentes & angulares, quæ concutiendo tubulos, vel poris eorum adhærendo eosque obstruendo coagulationem, tandemque inflammationem parere possunt. Idem incommodum nobis inflare potest aër calidior: dum enim hujus particulæ volatiles quocunque modo in massa sanguinea propulsæ & à materia subtili abreptæ exagitant sanguinem, succosque ab eo dependentes, quæ celerrime per omnes tubulos, meando eosque ampliores reddendo particulas etiam crassiores admittunt: ubi jam derepente vel frigido aëri exponimur, vel frigidam ingurgitamus, ingens tumultus partiumque collisio oritur,

tur, qualis ab adsperſa candenti ferro aqua dum vero motu earum imminuto prementе athmoſphera particulæ propius ad ſe invicem accedunt, pedem figunt, cum propter craſſitiem nec avolare nec regredi poſſunt, ſed calefacti inſtar lactis & derepente aëri frigido expoſiti, cuticulam quaſi quandam contrahunt in ſuperficie.

§. 48. Facta ſic obſtructione, ſanguis priſtina alacritate vaſorum ſuorum labyrinthos & anfractus emetiri nequit; ſed tardiore & lentiore incedens paſſu tales juxta ſe poros format, quos non ſecundum lineam rectam trajicere materia ſubtilis poteſt; hinc dum nunc has, nunc illas particulas ſede ſua naturali & amplexu removet, confuſoque omnes ordine inter ſe agitat, turbata ſanguinis mixtio oritur, quæ ipſa febris eſt. Adde dum in glandulis illis obſtructis à materia ſubtili vehementiſſime omnes inter ſe miſceantur turbenturque particulæ, facili negotio per vaſa lymphatica quaſdam ad venas delabi, quæ dum ſitu, figura & magnitudine à reliqua maſſa ſanguinea abludant, mixtionem ejus turbant; febremque producunt.

§. 49. Dolorem pariunt particulæ pungentes & ſcindentes mutua colliſione à materia ſubtili impetuoſe fibras verſus impulſæ.

§. 50. Difficultas ſpirandi contingit, dum viæ per quas ingredi aër in pulmones debebat, juſto ſunt anguſtiores. Cumque muſculi, quorum partes erant ciborum in ventriculum propulſioni ancillari, tumeant, rigidi ſint & fere inflexiles; quod preſſos ita tubulos ſuccus nervoſus ſatis prompte & copioſe ingredi nequeat, nec per conſequens eos libere flectere, deglutiendi ſequitur impotentia.

§. 51. Multiplici de cauſa malum hoc periculoſæ plenum eſt aleæ: obſtructis enim viis intercipitur ſpiritus, ſiſtitur circulatio ſanguinis & æterna clauduntur lumina nocte. Exacerbata hac inflammatione, vel exulceratio vel mortificatio inſequitur haud raro. Imo ulterius ſerpere inflammatio pulmonesque occupare ſolet; unde aliud ex alio malum ortum ducit. Quo diutius durat febris, eo majus ſubeſt periculum. Si cum difficillima reſpiratione in anginoſis ſpuma circa os apparet, prout in ſtrangulatis & ſuffocatis cernere eſt, lethale. Ruptus abſceſſus ſi

ex-

exſpui nequit, ſed in pectus labitur, præſentiſſimam ſæpe numero infert ſuffocationem. Si fauces, cervicem & pectus rubor occupat, bonum, extra enim ait Hippocrates vertitur morbus: nimirum levior tunc eſt obſtructio particulæque in motum raptæ, alio feruntur. Inflammationes faucium vel cito evaneſcunt, vel diſcutiuntur, vel ſuppurantur, tumque in diuturna & inſanabilia fere ulcera abeunt, imprimis ubi veterum ritu frigidis & gargarismis repulſionem male tentaveris. Habet hic morbus illud commune cum cæteris omnibus catharroſis, quod à quo aliquoties exceptus fuerit, eum invadere frequentiſſime ſoleat, tubulis jam male figuratis ſuccisque ad ſtagnationem & inflammationem ſuſcipiendum diſpoſitis.

Pleuritis.

§. 52. Pleuritis eſt inflammatio membranæ exterioris pulmonem inveſtientis ut & pleuræ muſculorumque intercoſtalium cum febre, dolore lateris punctorio, tuſſi, reſpiratione difficili, ſputo utplurimum cruento, pulſuque duro.

§. 53. Diſtinguere hactenus ſuevere Medici inter pleuritidem & peripneumoniam, illam pleuræ, hanc pulmonum inflam-

flammationem interpretantes. Nos simpliciter in omni pleuritide pulmones & quidem exteriorem magis partem affici persuasum habemus: quanquam non negemus pleuram sæpius in consensum trahi simulque inflammationem subire, sola autem affecta hunc tam periculosæ aleæ malique moris morbum producere non potest: ut taceam in sectione pleuriticorum hoc morbo extinctorum, pulmones utplurimum affectos fuisse repertos, pleura sæpe integra & incolumi. Quod si vero interiorem magis partem corripuerit inflammatio, peripneumonia dicitur, quæ nihil aliud est, quam gravior pleuritis, cum jam non in superficie malum hæret, sed ad ipsum meditullium penetrat, tumque dolor acutus degenerat in gravativum.

§. 54. Sanguis à quacunque causa coagulatus, tardius per vasa pulmonalia fertur, premitque circumjacentes tubulos, per quos fluere libere succus nutritius prohibitus angustiores poros contrahit, non nisi materiæ subtilissimæ pervios, unde particulæ omnes vehementissimo illius motu abreptæ tumultuantur, ramosæ & flexiles discerpuntur, diffinduntur & abiguntur scin-

scindentes & pungentes sui juris factæ fibras rodendo dolorem & tussim producunt.

§. 55. Cum vero tubuli omnes distenti premunt vesiculas pulmonales, prompte eas subire prohibitus, aër difficultatem parit respirandi; quid quod pulmones dilatari tantum, quantum ad liberam respirationem requiritur, nequeant absque dolore, à quo cum æger sibi metuat, interruptis solum vicibus, sicque creberrime respirat.

§. 56. Febris eodem modo oritur ac in angina, quæ interdum quoque est morbus primarius, ita ut pleuritis symptoma ejus tantummodo sit.

§. 57. Stagnare diximus in tubulis pulmonalibus sanguinem succumque nutritium, qui si diutius quam par est moratur, particulæ ejus flexiles & volatiles evanescunt, crassioribus & acrioribus relictis, quæ cum alios juxta se poros formant, necesse est, ut materia subtilis alia atque alia per eos fluat, aliam ipsis figuram induat aliumque motum; unde tandem talis fermentatio introducitur, qualis in omnibus corporibus putrescentibus obtinet, sicque pus generatur, quod quia crassas & irre-

gulares particulas exhalat, quæ feriendo valde concutiunt fibras nerveas olfactui dicatas, immane quantum foetere solet.

§. 58. Sputum utplurimum cruentum est, cum sanguis tanta pollet crassitie, ut cursum suum exequi nequeat, sed stagnando acrior factus, per dilacerata vasa effluit. Non modo hoc, sed & obstructis tubulis fieri potest, ut sanguis premendo & urgendo in cassum sibi viam facere allaboret; unde in latera totis viribus incumbendo perrumpit vascula & sub forma sanguinis prodit.

§. 59. Ad remotarum causarum classem vocabimus quicquid sanguinem in pulmonibus coagulare, liberumque ejus circuitum sufflaminare aptum natum est. Hoc nomine male audit aër frigidus, particulis rigidis, scindentibus gravidus. Potus frigidus avide calefacto corpore haustus, qui dum per œsophagum descendit, sanguinem in arteria magna, quæ illi incumbit, condensat; unde sanguis ille condensatus per arterias intercostales ad pleuram, delatus in capillaribus earum tubulis subsistit, perturbatamque incurrit mixtionem. Subita refrigeratio desudato

to pectore multum hic confert: crassus enim & ad stagnationem proclivis sanguis facillime ulteriori motu spoliari potest.

§. 60. Crudele malum est pleuritis & pericali plenissimum. Si statim in ipso principio sputum album, æquale ejicitur, bonum est: quod si nihil prodeat aut derepente excreatio cessat, superstite dolore in extremo æger versatur discrimine. Sputum omnino cruentum, lividum, viscidum, glutinosum, pessimæ est notæ. Pulsus parvus, intermittens, cum leniori dolore & febri lethi nuntius est: gangrænam enim indicat. Si externa frigent, interna vero uruntur, aut medicamenta generosa nihil juvant, spes omnis decolavit. Fugientem tussim si singultus exceperit, in pejus vergunt omnia. Alvi profluvium & hæmorrhagia aliquid monstri alit. Septimo utplurimum die terminatur instar aliorum acutorum, aliquando 14to. Quod si hos effugerint, purulenti vel tabidi fiunt. Si dolor, tussis, respirandi difficultas sensim mitigentur, pulsus de duritie sua remittit, plenissima affulget spes convalescentiæ.

§. 61.

Tussis. §. 61. Dicitur tussis valida & inæqualis exspiratio, qua id, quod respirandi organis molestum est, expellitur. Accusamus hic, quicquid organa respiratoria vellicare, irritare, & lancinare potest. Frequentissimæ tusses sunt ab aëris vitio ortæ, si quis diu se exponat aëri nebuloso, frigido & acido sale intaminato, tum lympha, quæ per tubulos asperæ arteriæ transudat ad eam irrotandam & loquelam facilitandam stagnat, crassescit & acrior redditur; unde vellicando fibras, tussim parit. Ad hanc tussim suscipiendam procliviores sunt, qui concitato cursu defatigati & sudore undiquaque diffluentes aut calore foci, vel cubiculi calefacti desubito frigori se exponunt: Incalescente namque corpore omnes succi vehementi motu agitati tubulos omnes valde aperiunt, ingentemque faciunt particularum volatilium jacturam; tum vero necessario fieri debet, ut particulæ quædam ex aëre succedant, quæ si crassiores sint, tardiusque moveantur, uti fit in aëre frigido, illicet coagulant succos, tubulos angustant, insensibilem transpirationem impediunt. Cum vero particulæ volatiles, si quæ supersunt, nunquam cessent abitum meditari, reliquæ

sub-

ſubſiſtentes ſenſim ſenſimque craſſiores evadunt & acriores; unde vellicatio & tuſſis.

§. 62. Sic ab inſpiratione fumorum metallicorum aut ſpirituum mineralium, idem malum contrahere poſſumus: quæ ratio eſt, quod nonnulli ſuadeant illis, qui periculoſis iſtiusmodi laborationibus incumbunt, ut panem butyro illitum, antequam operi manum admovent, comedant, quo ſic corroſivæ fumorum particulæ ramoſis butyri particulis irretitæ ſcindere & rodere nequeant. Denique ipſa quoque lympha ex Cachexia vel Scorburo vel Febre jam ſalſis acidisque particulis conſtare poteſt, etiamſi à nulla cauſa externa vitium id contraxerit, unde ſimiliter, eundem effectum ſortietur.

§. 63. Quoties ergo lympha per tubulos, tunicas aſperæ arteriæ perreptans ab interna vel externa cauſa ſpiculis imprægnata ſit, cum tamen naturaliter inſipida eſſe debeat, vellicando & pungendo motus convulſivos vel tuſſim excitat.

§. 64. Ubi forte fortuna in ventriculo fluctuat ſuccorum acrium, viſcidorum, acidorum, ſalſorum ſaburra, non poteſt

non fieri, quin ſuperius orificium ventriculi concutiatur & vellicetur; quod cum in conſenſum trahat diaphragma tuſſis oritur. Idem judicium eſto de œſophago, qui ſi vellicetur eundem motum communicat aſperæ arteriæ ac reſpirationis organis.

§. 65. Tuſſes ex ſtomacho oriundæ ſiccæ ſunt, & ferinæ infanteſque maxime affligere ſolent, propter caſeoſas, acidas in ventriculo collectas viſciditates. Hinc occaſionem arripuere Medici diſtinguendi in tuſſim humidam & ſiccam: Hæc eſt, ubi ingenti labore nihil excernitur: Illa ubi concuſſionis iſtius ope varia phlegmata, mucus aliaque excernuntur.

§. 66. Si ex ſtomacho oritur tuſſis, ſonitus quaſi ex profundo imoque pectore auditur, ægrique vellicationem quandam perſentiunt & conſtrictionem in hypochondriis. Si vero ſonitus eſt ſuperficialis, tuſſimque brevi excretio ſubſequitur, malum hæret in pulmonum bronchiis. Placet aliis tertium tuſſis genus addere, quod convulſivum vocant, ſed meo judicio omnes tuſſes ſunt convulſivæ.

§. 67.

§. 67. Itaque id ſolum notamus, poſſe tuſſes oriri, ſi nervi ubi illud ſit, à particulis acribus & corroſivis agitati, eodem motu concutiant fibras pneumonicas.

§. 68. Tuſſes fere omnes circa veſperam ſolent exacerbari, vehementiusque affligere; quod horizonte noſtro à ſole averſo particulæ in aëre minus motæ ſanguinis circulationem tam prompte atque antea promovere non poſſint; hinc diutius jam in tubulis quodammodo obſtructis morantes ſucci validius fortiusque, premunt fibras nerveas: tum quoque imminuta inſenſibili tranſpiratione ſimiliter tardius progreditur ſanguis, ſicque exacerbatio tuſſis non poteſt non ſubſequi. Suum hic quoque confert lecti calor quo particulæ acres in majorem motum abreptæ validius erumpunt in fibras, fortiusque eas agitando tuſſim intendunt. Adde tum craſſiores & acidiores in aëre dominari particulas, quæ excuſſis è ſanguine toto die particulis ſpirituoſis ſuccedunt, ſanguinemque ita craſſiorem & acriorem reddunt; unde notabile tuſſi ſuppeditat incrementum.

§. 69. Tussis per se nihil periculi portendit. Sic si ab exulceratione pulmonum satis crudelis, cum non nisi letho terminari soleat. Prout itaque plus vel minus acris est succus unde producitur, ita & plus vel minus periculi post se trahit. Si cito evanescit, levis est affectus; si contumacius urget, aliquid monstri alit, cum non possint non illæ particulæ acidæ successu temporis exitialem moliri exulcerationem, unde Phthisis. Ex quibus sequitur tussim ab ulcere ortam perniciem minari œconomiæ. Senum tusses cum vita finem consequi solent.

Hæmophtysis.

§. 70. Hæmophtysis est exspuitio sanguinis ex respirationis organis, cum tussi, oriunda. Non omnis sanguis, qui per os excernitur è pectore prodit. Ubi sanguis ater & grumosus, est, vel ex œsophago, vel stomacho, idque vomitu excernitur, adestque summa præcordiorum angustia, & dolor gravans circa hypochondria. Quod si vero sanguis sit spumosus atque floridus, semper quoque cum tussi frequenti rejicitur per intervalla, dubitari non potest eum ex pulmonibus proficisci, malumque illud subesse, de quo impræsentiarum agere nobis præsumsimus.

§. 71.

§. 71. Communem cum omnibus hæmorrhagiis causam agnoscit, ubi sanguis in Cachexia vel Scorbuto particulis scindentibus, iisque satis crassis & rigidis impræ-gnatus per arterias pulmonales fertur, impossibile est, ut à multitudine spiculorum hinc inde existentium pergere commode queat, quin in fibras impetum faciendo easdem ultra sphæram dilatet tandemque rumpat, tum elapsum sanguinem fibræ coarctatæ foras expellunt per os, unde excretio cum tussi.

§. 72. Ubi vasa admodum tenera sunt, nimio clamore, sternutatione, tussi, cursu, saltatione, risu rumpi possunt huncque affectum producere: Usum nimium spiritus vini, aliorumque volatilium affectum hunc aliquoties produxisse legimus: tum putandum est, sanguinem viscidis, crassis, acidis, salsis particulis refertum esse, quæ cum propter irregularem suam figuram horum volatilium motum celerrime insequi nequeunt, hinc inde in vasa impetum faciunt, quæ tanquam totidem cultellis diffindunt & discindunt. Præterea dum pari alacritate, qua à spirituosis & volatilibus ex angustioribus in an-

angustiores tubulos urgebantur, progredi nequeunt; subsistunt in illis, cumque à retro appellente & transitum urgente sanguine adhuc magis comprimantur, sequitur sanguinem per vasa sua prompte & inoffenso pede gyrare, ex arteriis in venas transilire nullo modo posse; unde vasorum sequitur expansio eorumque ruptio. Vel quod agitato à particulis spirituosis sanguine potus frigidus ingurgitetur, qui de subito sanguinem in vasis suis sistit, condensatque; hinc accumulato in vasis sanguine, vasa ampliantur, ultra sphæram suam expanduntur, tandemque rumpuntur.

§. 73. Ex his attendenti facile patebit ruptionem vasculorum non oriri à nimia sanguinis fluiditate ejusque subtilitate, sed à sanguine viscido & crasso, rigidis & scindentibus particulis imbuto. Non ignoro equidem sanguinem tenuem esse, floridum & spumantem, nec tamen inde ullo modo infringitur sententia nostra, cum ille, antequam excernitur tussi, ingentem ab impulso sale volatili aëreo alterationem pati, sicque floridum & purpureum inducere possit colorem.

§. 74. Satis de causis, prognosis tristis & funesta est. Sputum sanguinis ex pulmonibus ortum ulcus parit, phtisinque utplurimum lethalem. Sanguis diutius stagnans in pus abit, eoque facilius, quo largius adstringentia illa vulgo dicta & acida exhibita fuerint.

§. 75. Cum sæpius de Phthisi verba fecimus, jam pressius de ea agemus. Describitur autem, quod sit extenuatio corporis totius, cum febri lenta, tussi, excretione materiæ purulentæ, respirandi difficultate, à pulmonum exulceratione ortum. Non enim omnis corporis extenuatio oritur ab exulceratis pulmonibus, id quod probo observandum in praxi.

Phthisis.

§. 76. Risu itaque & cachinnis excipimus empiricorum ampullas & sesquipedalia verba, qui ignaræ multitudini persuadere satagunt, se desperatas Phthises curasse; cum sic tacite suam in Medicina infantiam, supinamque inscitiam fateantur. Semel enim exulcerati pulmones curam vix admittunt, multis de causis inferius suo loco disserendis.

Quid quod illorum Phthisici falso pro Phthisicis habiti maciem aliunde contraxerit: Vel enim sanguis in Cachexia aut Scorbuto tantam acidarum & crassarum particularum turbam in sinu fovet, ut inde tardius motus ad tubulos partium solidarum pervenire nequiverit, eosque implere succo nutritio & extendere, quin & successu temporis succus nutritius in tubulos propulsus, cum crassior, quam par est, existit, obstructionem facere, aditumque recens advecto chylo intercludere potuit. Porro ubi propter fermenti gastrici vel nimiam aciditatem, vel crassitiem, qualem ex Cachexia aut Scorbuto consciscit sibi cibus, in pastam acidam, viscidam mutatur, difficile admodum est, ut istiusmodi chylus vasa lactea subeat, quin ibi moram nectat, contumaciusque hæreat, ita ut nihil imposterum succi nutritii ad sanguinem devehi pro nutriendo corpore possit. A nimio purgantium vehementiorum usu contingere facili negotio potest, ut toties rupti tubuli inæquales & gibbosi evadant, vitiose coalescant, intorqueantur, cicatricibusq; obducantur, quo vasa lactea vel

vel premendo vel recludendo obicem chylo objiciant.

§. 77. Ex his itaque causis ubi proficiscitur tabes, falso pro Phthisi, quæ semper exulcerationem pulmonum præsupponit, venditatur. Hoc tamen ita asserimus, ut nullatenus inficias eamus, hasce tabes tandem insequi posse pulmonum exulcerationem, nisi in tempore illis obviam eas, malumque in herba suffoces.

§. 78. Tres Phthiseos gradus notare solent practici. Primus est quando contabescentia parum in oculos incurrit, hic difficulter cognoscitur, sed modo cognitus esset, facillimæ esset curationis. Secundus est, ubi partes musculosæ & adiposæ emaciantur, hic facilius cognoscitur, sed difficilius curatur. Tertius est, ubi cutis vix ossibus hæret, faciesque adest Hippocratica: hic omnia sunt conclamata.

§. 79. Oritur ergo hæc corporis extenuatio, de qua inpræsentiarum nobis sermo est, ab ulcere pulmonum, id quod aliorum præcedentium malorum necessa-

 rium

rium est consequens. Primo enim sanguis & succi ab eo dependentes tardius moventur, dein succus nutritius, post & sanguis in tubulis pulmonum hæret, obstructionem & tumorem quasi quendam efficit; tum vero compressis & sine ordine sibi invicem incumbentibus particulis, materia subtilis perturbato omnia ordine movet, miscetque; scindentes & rigidæ sui juris redditæ propter mutuam affrictionem acutiores fiunt; unde in fibras impinguntur, quas tandem erodunt exeduntque, atque ita ulcus sensim nascitur. Cum jam in novi chyli advecti poros æther ille ulceris ruat, necessario eodem quo in ulcere modo moveri & per consequens eandem figuram & magnitudinem particulas induere oportet, hoc est, in pus facessere; non absimili modo, quo putridum pomum alterum inficit, vel oculus inflammatus alterum sanum, in calamitatis societatem abripit; hunc in modum, quod materia subtilis vehementer angustatis poris tumultuans fulminis ocyus alis erumpit, sanique oculi tubulos invadens eundem motum introducit, particulasque omnes vehementer inter se miscet & agitat. Atque hi funesti sunt ulceris natales, ex quibus liquido

quido constat, esse illud nihil aliud, quam ruptas tubulorum extremitates, per quas fit perpetuus chyli effluxus.

§. 80. Istiusmodi ergo pulmonum exulcerationi obstetricatur quicquid motum sanguinis & succorum sufflaminare & retardare aptum natum est & ad particularum ordinem evertendum vel turbandum disponere. Hinc pleuritis, hæmophthysis, angina, tusses diuturnæ, asthmata, cum in his omnibus tubulorum sit obstructio, ulcus tandem pulmonum vel phthisin post se trahere solent. Halitus quoque minerales spirituum acidorum inspirati hinc inde tubulis impacti, & in motum à materia subtili deducti cultrorum instar diffindunt fibras & discerpunt, sicque pulmonum substantiam exedunt. In quocunque loco hæreat ulcus, facile quædam particulæ una cum reliquo sanguine ad pulmones deferri possunt, quæ cum propter irregularem suam figuram ex angustis illis tubulis expedire se nequeant, stant erecti, acieque sua fibrarum moliuntur disruptionem.

§. 81. Hoc jam ulcere ubi gravantur pulmones, non potest non respiratio red-
di

di difficilis, quemadmodum enim follis, ubi pertusus est rimarumque plenus, nulli usui destinari valet, aëre, qui utramque alam expandere & removere à se invicem debebat per meatus hos elabente. Sic quoque pulmones rupti hac in re rationem habent follis.

§. 82. Tussim pariunt aculeatæ & corrosivæ puris particulæ, fibras pulmonales vellicando & lancinando.

§. 83. Febris adest, quod sanguis per pulmones ruens quasdam puris ex ulcere particulas secum abripiat; quæ cum à sanguinis particulis abludant, aliumque æetherem vehant, turbatus earum oritur motus, in quo febris consistit essentia, prout supra demonstravimus. Lenta ea esse solet & parva, quod puris & sanguinis particulæ poros habeant à se invicem non multum discrepantes, per quos cum æther fluit parum diversus, aliquis quidem, non tamen adeo vehemens oritur conflictus & lucta. Exacerbatur autem post pastum, quia pori particularum chyli adhuc magis abludunt à puris particularum poris, quam pori sanguinis, cum quibus tamen simul non conspirat; unde materia subtilis motu vertiginoso

noſo omnia agitat majorque tumultus & mixtionis turbatio oritur.

§. 84. Hoc modo ſuccus nutritius exaſperatus ſubire anguſtos tubulos nequit, nec eos infarcire, quin aculeatas omnes particulas ramoſas armabit brachiolaque onerabit, tubulos perrumpet & deſtruet; unde ſumma macies, quæ ſenſim incrementum ſumit, quia ſuccus nutritius advectus vel propter obſtructionem ſtagnare & tandem ſub forma ſudoris erumpere & ſudorem colliquativum eumque acidum & fœtentem conſtituere cogitur.

§. 85. Capilli decidunt, quod ſuccus nutritius juſto craſſior ad tubulos, unde excreſcere ſolent pili, queis totum corpus conſitum eſt, penetrare nequeat; quo illi defraudati decidunt, aut ubi adhuc eo ferri poteſt, ille tamen nimis acris & corroſivus exiſtit; unde eorum radices erodit.

§. 86. Tument pedes, quod ſanguis ſuccique craſſiores progredi amplius nequeant, ſed ſubſiſtere cogantur, & ipſe ſuccus nervoſus tanta vi ſanguinem ex corde explodere nequeat, ut in extremis illis partibus impreſſum ſibi motum integrum retinere, ſicque ad cor regredi poſſit. Reliquo-

liquorum ſymptomatum enodationes jam in ſuperioribus inſtituimus. Sunt enim moroſi, inconſtantes, obliviosi, ſuſpicioſi, leviſſimis quoque offenduntur, nihilque ipſis ad palatum, appetitus aliquando ſatis validus, & tamen quo plus cibi ſumunt, eo magis emaciantur.

§. 87. Torſit hactenus ſingularis hujus mali indoles, quod contagio ſerpere & ad alios penetrare ſoleat: Imprimis vero eos, qui quocunque modo diſpoſitionem aliquam in ſinu ſuo ad malum hoc fovent. Sed ſi calculum rite poſuerimus, difficultatem, ſi qua eſt facile ſuperare dabitur. Attendamus ergo exulceratos pulmones continuo motu agitari, & una cum exſpiratione ingentem vim particularum acrium & corroſivarum longe lateque non aliter ac ſi liquor quidam per ſyringam exprimitur, propelli; quod ſi tum non nemo illi athmoſphæræ in qua particulæ involitant, includatur, neceſſe eſt, ut vel in ore ſalivæ miſceantur, vel una cum àëre in pulmones per inſpirationem impellantur, ibidemque circulanti ſucco eundem motum, figuram & magnitudinem imprimant, vaſa corrodant, ſicque phthiſin producant. Iſtiusmodi autem effluvia eſſe corroſiva patet ex hali-

halitu fœtido, quo vastissimum etiam cubiculum implere solent. Contagiosum vero esse hoc malum, tristi suo exemplo testatus est Medicus quispiam, vel imprudentior, vel justo audacior, qui cum odore experiri sputum phthisicorum non dubitaret, lethalem sibi phthisin contraxit. Eo facilius vero infici quis poterit, ubi pulmones ad particulas istiusmodi suscipiendum vel earum motui auscultandum plus minus dispositi sunt. Consistit ea dispositio in certa tubulorum configuratione: non enim omnes eodem modo constitutos pulmones nacti sumus, dum quibusdam sunt tubuli arctiores, aliis laxius cohærentes, vel magis intorti; unde nunc facilius, nunc difficilius rumpi & exedi possunt.

§. 88. Distinguere solet omnis practicorum cohors in phthisin & empyema, cum utrumque malum consistit in ulcere, cum hoc solum discrimine, quod in illa pulmones jam sint exulcerati in hoc autem pus capsulis inclusum hæreat, qua rupta illud pulmones corrodenti & phthisin producendi ansam nanciscitur.

§. 89. Sed antequam hic finem faciam disquiram quo jure an injuria Tabacum

cum hic nonnulli accusare solent. Novi ego studiosos haud paucos, qui post diuturnum & familiarem hujus herbæ usum, tussem, asthma, appetitum prostratum, maciem contraxerint. Sed subductis omnino rationibus, circumstantiisque excussis, videtur illa hectica fuisse ex Scorbuto aut Cachexia oriunda, ortumque cœpisse ex cruditatibus acidis & viscidis in ventriculo à Cerevisia, Vino, potu fœculento & frigido plenis rictibus hausto, collectis. Committitur itaque fallacia non causæ ut causæ, falsoque adscribitur nicotianæ, quod magnis illis culeis, queis inter se certant temulenti Bacchi Alumni, imputandum erat. Cæterum recte nonnulli statuunt acrimoniam aliquam præcedere Phthisin, sed gravissime hallucinantur salinas, volatiles, oleosas pulmonum exulcerationem moliri posse; repugnat id earum figuræ & texturæ. Subtilissimæ itaque hæ Tabaci particulæ & summe attritæ aciculæ, particulis ramosis involutæ non exedent, nec discerpent pulmonum tubulos, imo quidvis potius, quam hoc mihi persuadere patiar. Crederem namque quo major harum particularum copia & vis eo minus Phthiseos periculum, imo impossibile,

bile, ut gigni possit, nisi tales imminuantur, vel ab aliis viscidis & acidis supprimantur.

§. 90. Pergimus ad prognosin. Ulcus pulmonum multis de causis curari nequit. Primo enim continuo moventur. II. Inspirantur variæ aëris particulæ. III. Medicamenta eo recta non perveniunt. IV. Propter nimiam aciditatem in stomacho infringuntur. V. Nec emplastra, nec cataplasmata, nec lavamenta applicari possunt. Juvenes præ cæteris in hoc malum inclinant: neminem namque ignorare reor, qui vel est, vel fuit olim Juvenis, quam dissolute id ætatis, quam profligate vivatur, quare proclives in quævis ruere soleant vitia, impetum facere in sanitatem, & dies noctesque madere. Quid mirum itaque, dum continuo agitatus sanguis subtiles & balsamicas particulas amittit, nec nisi acres & crudas à potu recipit, tandem febrem hecticam cum exulceratione pulmonum insequi. Pulsus rarior debilis cum respiratione difficili & tussi vehementi, periculum portendunt. Animi deliquia, sudores nocturni colliquativi. Diarrhæa, urinæ oleosæ atque pingues, spasmi mortem annunciant. Capillorum

defluvium, tumor pedum, proxima sunt & certissima instantis lethi signa. Hæreditaria Phthisis curatur nunquam. Simul atque exspuendi facultas tollitur, moriuntur.

Syncope.

§. 91. Quid syncope sit ex supra dictis patet. Oritur illa æque ex Catharro quam ex Cachexia & aliis morbis generalibus. Quis enim nescit nonnullos malo hoc corripi, qui ex aëre calido derepente in frigidum se conferunt, aut desudati frigidum hauriunt: quod abactis particulis subtilibus & volatilibus sanguis de subito stagnet, succum nervosum vel nullum, vel paucum ad movendam machinam proferat: dein dum potus gelidus œsophagum descendit, sanguinem particulis volatilibus orbatum in arteria magna coagulat, qui subsistit ac circulationem malo omine interrumpit: tunc enim plus sanguinis per venas revehitur, ad cor, quam per arterias iterum in totum corpus distribui potest; hinc palpitat cor, ac crebrioribus ictibus in pectore salit, non aliter ac si principium arteriæ magnæ polypo obturaretur, donec tandem cor de copioso sanguine referto pulsus, & cum

cum eo circulatio ad tempus ſenſibiliter intermittat.

§. 92. Nimia hominum in concluſo conclavi frequentia deliquio nonnullos tentare ſolet: Ratio primo eſt, quod ſale volatili aëreo abſumto ſanguis per pulmones non amplius tam prompte feratur; hinc tardius incedens machinam movere deſinit. Altera ratio magis veriſimilis videtur, cum nonnullos malum hoc corripiat, qui in aëre ſuffocativo, aut cubiculo calido ſaltem verſantur, ubi ſal illud aëreum volatile neutiquam abſumitur: Non enim eatenus ſolum ab aëre motus ſanguinis in pulmonibus augetur quatenus ille ſale volatili eſt gravidus, ſed maxime, quod in eo eſt vis elaſtica, qua ille ſe expandere & dilatare poteſt in immenſum; id quod mille ævi noſtri experimenta clariſſime evincunt.

§. 93. Itaque aër dum inſpiratur & per bronchos diſpergitur, medio ille loco excurrit inter ramos arteriæ & venæ pulmonalis nec non bronchialis: ea enim eſt vaſorum in pulmonibus diſpoſitio, ut vaſa ſanguinea ramos fiſtulæ pulmonalis ad extremitates usque concomiten-

tentur; unde non poteſt non aliquid aerei ſanguini communicari, quod quo nomine, vel ſalis volatilis aërei, vel ſpiritus aëris vitalis, vel ſalis mundi catholici, aliisque magnificis verbis indigitare velis, per me licet. Præterea aër ille frigidior & compreſſus in ramos tracheæ impulſus mole ſua explicat veſiculas pulmonales, quæ adhuc magis dein explicantur, dum aër inſpiratus à calore expanditur; unde liberior ſanguini paratur via ad circulum ſuum per pulmones felicius abſolvendum. Inſuper aër ille hoc modo expanſus latera vaſorum nonnihil premit, ac ſanguinem in vaſis pulmonum ſanguineis à latere ramis tracheæ proxime ſitis in motu ſuo progreſſivo adjuvat.

§. 94. Jam facile apparet, cur homines complures in anguſtiori loco aut cubiculo calido concluſi deliquio corripiantur. Scilicet quia aër effluviis craſſioribus gravidus minus aptus eſt ad ſe expandendum; hinc ſprædictos in œconomia uſus obtinere nequit. Accedit, quod aër ille à calore ibidem vehementiori jam dum expanſus in elatere ſuo multum imminuatur; unde inſpiratus mole ſua qui-

quidem vesiculas pulmonales distendit, sed cum ille ulterius à calore præprimis in cachecticis aut scorbuticis debili sufficienter expandi nequit, pulmones etiam ad debitam expansionem qualis ad sanguinis circularem motum interruptum servandum opus est non distenduntur, licet crebriori & largiori inspiratione defectum hunc expansionis elasticæ sæpius compensare nitantur. Adeoque cum aër jam dum expansus ulterius in pulmonibus expandi nequeat, quid mirum, si causa pulmones debite distendens deficit, illi concidant ac vasa sanguinea comprimant, quæ compressa aut coarctata sanguis transitum ex dextro cordis ventriculo in pulmones, ex his in sinistrum cordis ventriculum ac tandem in totum corpus impediunt: verbo sanguis in pulmonibus stagnare ejusque circulatio interrumpi incipit.

§. 95. Odores non modo ut supra demonstravimus lipothymiam inferunt, sed & præsentia rei ingratæ. Quis ignorat esse, qui ubi in eodem cubiculo felis inclusus est, etsi id eos maxime lateat, animo linquantur. Stupendum profecto altioreque indagine dignissimum phæ-

nomenon. Videamus ergo quid valeant humeri quid ferre recusent. Felis alicubi latitans varias particulas transpiratione ejicit, quarum immensa cohors totum pervagatur cubiculum. Hi vapores vel effluvia jam in istiusmodi hominibus funestas has ludunt tragœdias.

§. 96. Hoc ut eo evidentius appareat, clariusque; ipsa vitæ rudimenta arcessere operæ pretium esse ducimus. Ponimus itaque matrem utero gerentem viso cato subito, ut fit, terrefactam esse; tum vero alio modo influere oportet succum nervosum, qui ad ipsum fœtum motum hunc transfundit. Movetur igitur sanguis in fœtu eodem modo ac in matre. Jam vero cum succus nerveus ex sanguine elaboratur estque corpus subtilissimis, valde mobilibus constans particulis, absque omni negotio iidem motui se accommodabit. Ex quibus sequitur ad infantem ipsum terrorem hunc pertingere, animamque eandem plane sensationem cum matre eundemque statum incurrere; unde jam ingens fit in cerebro impressio altissimumque infigitur, nec facile delebile vestigium, obstetricante tubulorum flexibilitate & mollitie.

§. 97.

§. 97. Quoties jam imposterum à quacunque causa succus nervosus eodem modo movebitur, eadem sequitur mentis modificatio, nec tamen idem contingit matri, quia tubuli ejus sunt firmiores & constantiores; proptereaque succi nervosi insultibus resistere magis possunt. Effluvia ergo illa cati succo nervoso occurrentia eundem ac olim ipsi motum imprimunt, dum vestigia impressa reserantur, tubuli eodem modo inflectuntur; unde eadem in mente oritur perceptio. Si ergo posita eadem causa, ponitur idem effectus, terretur homo conciditque ex animis.

§. 98. Prognosin eandem facimus ac in Lipothymia ex Cachexia oriunda hoc tamen cum discrimine, quod illa, quæ ab externo vitio oritur, levior sit, ac illa, quæ notabilem sanguinis comitatur Cachexiam.

Cardialgia.

§. 99. Nec ventriculum à Catharris immunem existere putamus; frequentes enim sunt à Causa frigida Cardialgiæ atrocissimæ. Sic dum quis subito frigidam haurit imprimis agitato & desudato corpore, illico fibræ ventriculi rigent & spas-

ſpasmo corripiuntur: coagulantur enim humores & inopinato in circulo ſuo abſolvendo impediuntur; hinc fibræ contrahuntur & diaphragma in conſenſum trahitur, quod dum fit, intollerabiles oriuntur anxietates ægrisque vix explicabiles.

Appetitus proſtratus.

§. 100. Appetitus languet & proſternitur, dum quis abdomen deſudatum aëri frigido exponit, aut frigidam ingurgitat: ſanguis enim in ſtomachum delatus offendit anguſtiſſimos & certo modo configuratos tubulos, in quos proportionatum illis tubulis ſuccum deponit, qui usque & usque urgente ſanguine propulſus, tandem in ventriculum præceps ruit, rodit & vellicat ſuperius orificium ventriculi, fermentumque conſtituit; quod ſi jam â cauſa frigida quacunque ſanguis in ventriculi vaſis coagulatur glandulæque obſtruuntur, ut nullum fermentum in ventriculum deferri poſſit, quid mirum, ſi deficiente fermento appetitus ciborumq; diſſolutio langueat?

Nauſea & vomitus.

§. 101. Nauſea & vomitus ex Catharro ſunt frequentes: dum enim humorum circulatio per tubulos ventriculi â cauſa frigida impeditur, humores ſtagnantes acrimoniam contrahunt, qua fibræ irritantur, convelluntur, & contrahuntur, motumque fibra-

fibrarum periſtaltico inverſo contenta rejiciuntur.

§. 102. Vomitum non raro excipit cholera, in qua vehementiſſimo conatu copioſa tam per os, quam per inferiora rejiciuntur, adſunt præterea inſignes anxietates, inquietudo, cardialgia, jectigatio, inflatio abdominis, inteſtinorumque convolutiones, tormina, animi imminentia deliquia, palpitationes cordis, ſudores frigidi, interdū febris & convulſiones inſequuntur.

§. 103. Symptomata hæc ſane ſunt atrociſſima eoque graviora; quo cauſæ remotæ ſunt graviores acrioresque. Quamcunque hic cauſam accuſare velis illa erit vel frigida vel viſcida vel occulte aut manifeſte acida. Sic choleram producunt potus frigidus fructibus horræis, aliisque facile fermenteſcibilibus aut aceſcentibus ſuper ingeſtus, venena epota; purgantia acriora orectius venena; lacticinia cum acetariis aſſumta; eſus nimius melonum, cucumerum, fungorum; cereviſia & vinum nondum defœcatum, aliaque quam plurima, quæ fibras ventriculi & inteſtinorum vehementiſſime agitant, ſtimulant convelluntque, unde inſigniter ita agitatis fibris, nonnulla motu periſtaltico inverſo, ſurſum nonnulla autem deorſum ejiciuntur.

§. 104. Sunt qui hic accusant bilis nimiam acrimoniam salinam. Sed nos eam ab hoc crimine absolvimus, cum impossibile sit, ut particulæ bilis salinæ oleosis immixtæ funestum hoc malum moliri possint: an ergo culter vagina inclusus scindere potest, non putem quempiam, cui sanum est synciput, illud asserturum. Ambabus equidem manibus largimur in Cholera defunctis vesiculam felleam vacuam fuisse repertam, inde tamen non sequitur, bili extravasatæ malum hoc in acceptis esse ferendum, cum potius ad causam illam attendendum sit, quæ bilem ex folliculo suo expresserit. Non aliam autem hic esse putamus, præter convulsionem illam intestinorum, ab acido ortam qua omnia viscera concutiuntur & comprimuntur adeoque ipse etiam folliculus fellis in consensum trahitur. Nec probare videtur sententiam illorum sapor rejectorum amaricans, cum unica guttula bilis immensam quantitatem cujuscunque humoris amaram reddit. Taceo experientia jam confirmatum esse amaricantia quævis optima in hoc malo esse remedia.

§. 105. Sed si malum hoc esset ab acido, cur bilis æruginosa atrociora produceret

ret symptomata, quam aliud quodcunque in corpore nostro acidum magis homogeneum & purius, nisi particulæ bilis hic suum quoque conferrent symbolum? Respondemus autem bilem esse potentissimum acidi domitorem, adeoque eam constare ex tali genere particularum, quæ copiosissimos salium acidorum cultellos in poros suos recipere possunt. Simile quid videmus in Mercurio, qui tantam acidi vim in poros suos potest recipere, ut vix credam dari aliquod corpus posse, quod similem acidi quantitatem in dosi adeo exigua in poros suos recipere posset. Idem apparet in lapide infernali, qui ex venere aut marte confici non potest, sed solum ex Luna, eo quod hujus pori sunt aptiores ad copiosius acidum recipiendum, quam illorum.

§. 106. Non solum Cholera est ex Catharro, sed etiam ex Scorbuto & Cachexia, si autem epidemice grassatur, ex febre oritur. Quo symptomata sunt graviora, eo periculosius est malum, eo quod paucis interdum horis ægrum jugulet. Si livida, nigra, aut fœtida ejiciuntur, lethale.

Alvi fluxus.

§. 107. Oriuntur etiam à Catharro varii

varii generis alvi fluxus, qui pro varietate excrementorum varia ſortiuntur nomina. Sic ubi bilioſa, pituitoſa, ſeroſa ejiciuntur excrementis mixta, dicitur *Diarrhæa.* Si aſſumta prout fuerunt ingeſta ejiciuntur, vocatur *Lienteria.* Si mucoſa, purulenta cum torminibus dejiciuntur, dicitur *Diſſenteria.* Mulctantur hoc malo qui de noctu corpus refrigerant & pedibus nudis pavimenta lapidea obambulant, nec non illi, qui ſomnum interrumpunt ad negotia ſua peragenda: Sic enim impeditur tranſpiratio, quæ de noctu intendi debebat, humores acriores minus temperantur, minusque ab aliis ſubiguntur, qui tandem per alia ſecretoria exitum ſibi parant. Potus frigidus tonum ventriculi ac inteſtinorum labefactat, dum humores ſiſtuntur ac acriores fiunt. Fructus horræi ſuperingeſta frigida ordinario malum hoc producunt. Huc pertinet diarrhæa, quæ peregrinantibus familiaris eſt: oritur illa ex mutata diæta, dum varii generis potulenta aſſumunt, diverſum omni hora aërem inſpirant, ac quod caput rei eſt defatigati ſomnum capere non poſſunt, integumentis & ſtragulis deſtituuntur, à quibus ſub ſomno ſanguis calidior & ad tranſpirandum aptior reddi debe-

debebat. Hanc enim non infimam militum castrensium diarrhoeæ & dysenteriæ causam esse existimamus.

§. 108. Ab his itaque causis si producitur diarrhæa I. fermentatio in ventriculo tollitur, alimenta cruda ac indigesta expelluntur. II. Humores glandularum intestinalium fiunt acriores, qui continuo fibras intestinorum vellicant ac ad contractionem stimulant, unde supra jam memorato modo hos alvi fluxus producunt.

§. 109. Ab iisdem etiam causis varii & atrocissimi oriuntur intestinorum dolores, qui omnes sunt convulsivi. Sic ubi quis ventrem desudatum aëri frigido exponit, aut abjectis vestimentis tempore æstivo denudatus incedit, potum frigidum ingurgitat, aut frequentes subit frigoris & caloris vicissitudines, facile huic malo patet. Causam hujus mali proximam jam in superioribus innuimus.

Inflammatio ventriculi & intestinorum.

§. 110. Silentio non est involvenda inflammatio ventriculi & intestinorum tam tenuium quam crassiorum In ventriculo inflammato adest tumor aliqualis circa regionem ventriculi cum dolore atrocissimo, æstu intensissimo, siti inexplebili, anxietatibus, jactitationibus, & vigilus.

liis. Insequuntur hæc symptomata febris acuta, deliria, convulsiones, nausea & vomitus. In inflammatione intestinorum tumor quidam percipitur, dolores sunt fixi, pulsatorii, tensivi, ardor est intensus. Alvus est constipata, ac podex interiora versus retrahitur, vomitus urget, febris est utplurimum lipyria; externa namque tepent interna autem uruntur. Si inflammata sunt intestina tenuia, symptomata sunt graviora, ac maxime affligunt circa medium ventrem. Si crassa omnia mitius affligunt, imprimis vomitus.

§. 111. Oritur hæc inflammatio nonnunquam ex febre, & tum symptoma est febris. Si ex Catharro ortum trahit, accusamus omnem causam externam frigidam, quæ humores in tubulis suis coagulat, coagulatos sensim perturbate miscet, eodem modo ac in pleuritide & angina demonstratum est.

§. 112. Inflammatio hæc multis de caussis periculosissimus est affectus, quem superant pauci. Intra paucos dies terminum suum absolvit & in gangrænam desinit, quam ex mitiori febre & doloris remissione subitanea colligimus. Inflammationes intestinorum sæpe in ileum desinunt.

§. 113.

§. 113. Qua ratione ventriculus & intestina inflammantur ex Catharro, eadem quoque alia viscera ut hepar, lien mesenterium renes diaphragma inflammari possunt.

Passio iliaca.

§. 114. Passio iliaca est motus intestinorum peristalticus inversus, quo excrementa vomitu rejiciuntur. Alvus est adstricta imo adeo pertinaciter clausa, ut fistulam clysmaticam non admittat.

§. 115. Si malum hoc est ab inflammatione intestinorum, adsunt omnia illa symptomata, quæ paulo ante ubi de inflammatione intestinorum, indicavimus. Causa hujus mali est motus intestinorum peristalticus inversus: quod enim, ut ajunt, in ventriculo est vomitus, in intestino duodeno Cholera, illud in ileo est passio iliaca. Incipit hic motus peristalticus inverti, ut plurimum in fine ilei, qui sic per totam intestinorum fistulam continuatur: Est enim ab œsophago ad anum usque una & continuata textura membranacea, fibris circularibus & longitudinalibus constans, quæ in statu naturali unamini consensu contenta à gula ad anum usque protrudunt. Quod si jam motus ille peristalticus incipit

pit inverti in quacunque intestinorum parte, omnes fibræ in eundem motum conspirant, ac motu inverso quidvis rejiciunt.

§. 116. Quicquid itaque motum intestinorum peristalticum invertere aptum natum est, illud omne malo huic fenestram aperit. Proinde cum ad motum peristalticum absolvendum continuo irritantur intestina, facile fieri potest, ut excrementorum protrusio & descensus variis de causis impediatur manente continua illa irritatione, qua excrementorum protrusio usque & usque frustra urgetur; hinc tandem spasmo corripiuntur intestina, motus peristalticus invertitur, eoque inverso contenta vi sursum rejiciuntur.

§. 117. Ex his modo dictis apparet, quicquid descensum ac protrusionem excrementorum impedit, illud omne obstetrices huic malo manus præbere. Hinc intestinorum inflammationes propter molestum & atrocissimum dolorem quo illa affliguntur, excrementorum transitum denegant. In Colica convulsiva intestina

sæ-

sæpius corrugantur constringuntur & intorquentur, ac per inordinatum illum situm, quo misere interdum istiusmodi ægrotantes corpus suum jactitant & intorquent, intestina descendunt in cavitatem alterius; hinc superior intestini pars nunc descendit in inferius, nunc inferioris pars ascendit in superius, & hæc sane satis frequens est ilei causa ut & ex hernia præprimis inguinali.

§. 118. Periculosissimus hic est affectus, à quo pauci evadunt. Si ex inflammatione & grangræna intestinorum oriatur, lethale. Ab ileo vomitus aut singultus aut convulsio aut desipientia malum teste Hippocrate. Dolor & vomitus subito remittens gangrænæ signum est. Ex Hernia minus periculosum est malum, cum reposito intestino remittit, ex Hernia autem inguinali majus periculum imminet, cum absque sectione intestinum reponi vix poterit. Si intestinum inferius subit superius malum est curabile, vice versa, contra.

Stranguria.

§. 119. Stranguria ex Catharro satis frequens malum est, excernitur in ea urina guttatim cum insigni ardore tam in quam post mictionem. Oritur hoc ma-

lum plerumque ex potu frigido acido, crudo, & indigesto nunc copiosius, nunc intempestive cum acidis aut facile fermentescibilibus assumto; hinc cerevisia acida, cruda minus lupulata, novella, frigida ut & vinum austerum, mustum, stranguriam producunt. Latitat enim in his corrosivum acidum, quod quidem à fermento ventriculi resolvitur & ex latebris suis & amplexibus eruitur, minus autem iterum ab aliis temperatur & absconditur: Ita enim cum fermentatione in ventriculo comparatum est, ut particulæ à fermento resolutæ & ruptæ mutuis iterum inter se ruant amplexibus, & unaquæque illi se maxime societ, ad quam similitudine proxime accedit. Sic oleosæ brachiolis suis amplectuntur rigidas acidasque, viscidæ alis volatilium suscipiuntur & aufferuntur, adeo ut hic nullæ seorsim existant sed universa facta omnium unione, quasi homogeneam aut uniformem massam constituant per cujus poros placide ruens æther grata pacis & intestinæ tranquillitatis affert halcyonia. Quod si jam potuum crudorum, acidorum, particulæ acidæ in ventriculo quidem resolvuntur, minus autem ab aliis iterum subiguntur & temperantur,

chy-

chylus crudus & acidus elaboratus ex ventriculo in inteſtina protruditur, cujus acrimonia acida, cum à bilis ſale lixivioſo & volatili ſimiliter temperari nequit, ad maſſam ſanguineam pergit, ac in renibus deponit urinam acrem, acidam & perturbate mixtam, quæ continuo vellicando, lancinando, rodendo membranam interiorem, veſicæ & urethræ continuum mingendi conatum cum atrociſſimo inter mejendum dolore producit. Symbolum quoque ſuum hic confert refrigeratio abdominis aut veſicæ, quæ urinam in veſica perturbate miſcet, aut primarum viarum digeſtionem impedit.

§. 120. Non ſolum malum hoc oritur ex Catharro, quamvis frequentius, ſed etiam ex aliis morbis generalibus in ſpecie Cachexia & Scorbuto: hinc ſenibus ſtranguria frequens eſt ex vitioſa primarum viarum digeſtione.

§. 121. Stranguria moleſtum eſt malum. Si diuturnior aut pertinacior fuerit exulcerationem veſicæ aut urethræ molitur.

§. 122. Denique ex Catharro oriuntur, varii generis tumores inflammationes, ulcera, dolores, febres inflammatoriæ, lymphaticæ aut catharrales dictæ, quæ omnib9

ſere morbis catharroſis frequentes ſunt, convulſiones & ſpasmi nec non, paralyſes tam univerſales, quam particulares quorum omnium ſymptomatum mira eſt varietas, pro ratione diverſorum humorum ſtagnantium in variis corporis noſtri partibus. Sic ſi lympha à Catharro coagulatur in glandulis parotidibus oriuntur tumores & inflammationes parotidum, in tonſillis, tumor & inflammatio tonſillarum; in uvula, relaxatio & inflammatio uvulæ; in articulationibus arthritis, cujus variæ itidem ſunt ſpecies, pro diverſitate articulorum. In quibuscunque itaque tubulis ſi fiat obſtructio à cauſis catharrorum, partem illam Catharro affici ſtatuimus.

§. 123. Notandum præterea obſtructiones has, nec non omnes Catharri morbos reddi contumaciores, ſi vitium aliquod vel cachecticum, vel ſcorbuticum ſubeſt: catharrus enim ſæpiſſime eſt cauſa occaſionalis, quæ facilius humores illos viſcidos acidos & ſuffocatos coagulat & incraſſat, quia imbecillius efferveſcunt, minusque reſiſtere poſſunt injuriis externis. Hinc ab omni ævo jam obſervatum eſt ſenum morbos catharroſos eſſe pertinaciſſimos, imo omnia illa, quæ cachexiam vel ſcorbutum

pro-

producunt, gratissimum catharris præbere pabulum, quare curato licet aliquo morbo catharroso, in quadam parte, in alia tamen iterum erumpit: eo quod ex massa sanguinea continuo auxiliatrices copiæ advehantur, quæ malum fovent, ac quasi reproducunt. Præterea quia remanet in massa sanguinea fomes, facile ille ab injuriis externis etiam levissimis accenditur, & priores iterum inducit calamitates.

Cura generalis in quo consistat?

§. 124. Cum jam in antecedentibus, ubi causæ eruendæ operam navabamus, illam in obstructionem & perturbatam mixtionem, ortam ab injuriis externis refundere consultum ducebamus, arduum non erit conjicere, qua ratione curam catharrorum instituamus oportet. Recta scilicet ad obstructionem hanc expediendam relictis ambagibus nos conferimus, attendendo ad causas remotas, à quibus malum productum fuerit. Tum quoque diligentissime efficiendum censemus, ut particulæ acres demulceantur, viscidæ & glutinosæ incidantur, debitamque cum reliquis proportionem & mixtionem nanciscantur. Denique rationem quoque interdum habeamus aliorum morborum generalium, scorbuti vel cachexiæ, si horum vitium simul subsit.

§. 125. In gravedine & coryza alii alias sibi proponunt indicationes præcipuamque curam habendam esse existimant abundantis seri, quod bene constitutum abundare qui possit, vel detrimento alicui esse, non video? Lympha enim in corpore nostro rarissime peccat quantitate, nunquam nobis oneri, nunquam exitio est: tot enim emunctoriis provisum est corpus nostrum, tot cutis consita tubulis, ut si recte rem putem, lympha nullis particulis heterogeneis inquinata, diutius quam par est morari obstructiones, demum diluvia ista parere nullo modo possit; dein satis superque in minimas particulas comminuta & agitata, qua data porta exitum sibi quæret, tenuesque evanescet in auras.

§. 126. His ita confectis, non dubitamus proscribere purgantia. Haud equidem ignoramus non infimi subsellii Medicos, curam hujus mali à purgantibus ordiri. Sed posito posse humores quantitate peccantes exturbari purgantibus, cum jam tales hic nullo modo reperiantur, summa foret inscitia eadem in usum vocare. Specificas in sero ex purgando vires non pauci adscribunt Medici pilulis Francofurtensibus, hæc cum sola Aloe constent, quæ gummosa sui

sui parte aculeos salium blande inviscat & temperat concedi potest. Aut quod magis ad rhombum nostrum facit illis substitui potest Elix. alcal. Quod si hæ pilulæ ex voto non operentur ad extractum quoddam cephalicum vel catharrale confugiunt; in quo mirari subit in talibus, non dicam venenis præparandis, Medicos adeo esse operosos, cum si tanta libido fuisset purgando torquere miseros, longe expeditius, longeque compendiosius illud consequi potuissent præscribendo solam Resin. Jalappe vel Scammon. Verum illi mirum in modum sibi gratulantur de tam specioso purgantium usu, firmiter persuasi, nullum omnino humorem in corpore nostro peccare posse, qui non uni vel alteri eorum auscultet cum & melanagoga phlegmagoga, hydragoga singulari artificio in unum quasi fasciculum colligunt, sed delectentur nugis usque suis. Nobis religio erit istiusmodi medicamentis œconomiæ salutem turbare imprimis ubi tutior ad convalescentiam recuperandam via est.

§. 127. Ut itaque indicationibus nostris satis faciamus; inquiramus primo quam diligentissime, num acrimonia vel viscidi-tas peccet, sin illa oleosa, fixa & terrestria,

opiata, si hæc volatilia & incidentia potiorem medicamentorum partem faciant. Medicamenta itaque ubi visciditas prædominatur sunt omnis generis salia volatilia, quæ liberali manu dispensentur. Laudamus potum Theé cum sale vol. C. C. frequentissimi usus sit sal vol. oleosum, liq. C. C. succin. Tinct. Matric. Succini, & Castor. Essentia ligni Sassafras, quæ inter Theé usurpata nunquam fallent, nec te deserent. Ne quem hic turbet panicus fatuellorum terror, qui sibi metuunt ab aqua, cum ab intemperie pituitosa, vel abundantia seri catharros nasci persuasum sibi habent. Verum non copia seri, sed visciditas peccat, & acrimonia, hanc corrigi & tolli ab aqua calida subtili sale imprægnata, nemo cui sanum sinciput est, in dubium vocabit.

§. 128. Medicamentis his interponi debent sudorifera, quæ utramque in hoc malo absolvunt paginam, imprimis si febris se illi sociaverit; expediunt enim obstructiones, sal acidum acre è corpore eliminant, sanguinisque mixturam optime restaurant. In hunc usum seq. pulv. præscrib.

℞. Arcan. dupl.
Salis vol. Succ. an. ℈ß.

Antih.

Antih. Poter. ℈j.
Camphor. gr. ij. M. D.

Vel:

℞. Sperm. Cet. rec.
Succin. alb.
Flor. Benz. an. ʒß.
Croc. orient. gr. vj.
Ol. Succin. genuin. gutt. ij.

M. D. pro duabus vicibus ſub introitum lecti, cui pro re nata aliquid opii addi poteſt.

§. 129. Non modo per diaphoreſin ſed & diureſin feliciter ſe excludi patiuntur ſalia. Jejuno itaque ventriculo aſſumantur una cum potu Theé vel ligni Saſſafras pulv. prior §. præcedenti præſcript. vel ſeq.

℞. Millep. pulv.
Lapid. prun.
Sal. vol. Succin. an. ℈ß.
Ol. ſt. Cinnam. gutt. ij. M. D.

§. 130. Tinct. Succini laudem meretur, cave tamen eam vehiculo aqueo aſſumere jubeas, ne præcipitetur. Delectum interim inſtituere poteris inter alia diuretica quorum ſupra de calculo & iſchuria imo alibi jam ſæpius mentionem fecimus, quibus maritentur antiſcorbutica & anticachectica.

§. 131. Veræ causæ ignorantia hominibus ansam dedit excogitandi multa medicamenta externa, cataplasmata, cerota, emplastra, inter quæ caput extollunt Empl. Cephal. Schrœderi, de Betonica, de Tacamach. Creditum fuit istiusmodi emplastra retinere Catharrum, illiusque destillationem impedire. Sed quid juvant, quod quantulum sit, unicuique pensitandum relinquo: Illud omne tamen obstructionis reserationi & lymphæ correctioni in acceptis referendum existimo. Idem judicium esto de Oleo Succini vertici illito, quod nobis erit instar omnium, nec non suffumigia ex succino patulo ore & naribus excepta. Pediluvia inter externa remedia symbolum suum quoque conferunt: intendunt enim in extremis circulationem humorum; dum vapores in pediluviis calidi, volatilibusque particulis instructi sanguinem in motum rapiunt celerrimum, qui sic obstruentes & stagnantes particulas prætervectus prompte eas secum rapit, canaliculos omnes subit eosque obstructionibus liberat.

Cura Ophtalmiæ.

§. 132. In Ophtalmiæ curatione attendimus ad obstructionem, quam natam diximus à succo lacteo crassiore & acidiore per-

perturbateque mixto. Erit itaque ille attenuandus pristino fluori & mixtioni restituendus. Audacter pronunciamus volatilia alcalia hic esse optima cum peccantem lymphæ crassitiem & aciditatem feliciter tollere se posse tacite quasi loquantur. Erunt vero nunc interna nunc externa. Illa erunt omnia diaphoretica, quæ in quibuscunque inflammationibus omne ferunt punctum.

℞. Bez. miner. ℈j.
Sal. Absinth. ℈ß.
Croci gr. v.
Camph. gr. ij. M.

§ 133. Diaphoreticis maritare volumus diuretica. Sic

℞. Tinct. Succini.
Millep. an. ℥j.
Elix. vit. ʒij. M. D. jejuno ventriculo.

§. 134. Præter hæc in deliciis habere oportet omnia medicamenta, quæ transpirationem intendunt, particulas crassas incidunt, temperantque, inter quæ sunt Antiscorbutica & Anticachectica supra laudata.

§. 135. Jam ad externa properabimus.

℞.

℞. Cret. ℈ij.
Sach. Satur. ℈j.
Camph. gr. iv.
Aq. Rosar. ℥iv.
Elix. vit.
Spir. Matric. an. ʒß.

Hanc misturam ingrediuntur absorbentia, quæ aculeos salium obtundunt, infringunt dein salia volatil. oleosa, quæ coagulatum lac resolvere aptissima sunt. In eundem scopum inserviet seq.

℞. Sach. Satur. ℈j.
Tut. præp. ʒj.
Camphor. gr. viij.
Aq. Chelid. maj. ℥iv.
Spir. Sal. Armon. gutt. xxv.
Tinct. Croci ʒj. M. D.

§. 136. Ubi dolor adest intensus maximo cum fructu applicantur sacculi ex floribus Sambuci Euphras. Chamom. summit. aneth. fœnicul. flor. stœchad. referti. Spir. Rorism. Spir. Vini Camph. aut Matric. irrorati.

§. 137. Idem præstat Cataplasma seq.

℞. Pomor. dulc. n. 3.

Coq. ex ▽ Rosar. & Chelidon. q. s. ad mollit. Trajice per cribrum, pulp. adde Camphor. ℈ß. Sem. Coriand. ʒß. Croci ℈j.

℈j. M. F. Catapl. applicetur calide, cavendum tamen ne oculi nimis tegantur: impeditur enim hac ratione insensilis transpiratio, quæ quam maxime hic promovenda.

§. 138. Incipientem ophtalmiam fumus tabaci oculis inflatus interdum, sal vol. C. C. autem inferioribus palpebris inunctum cito curare solet, inveterata quandoque, quæ si nullis remediis obtemperat cantharidibus vertici & temporibus applicandis curatur.

§. 139. Possem hic ingentem remediorum farraginem corradere, nisi satius esset pauca eaque selecta ad unguem tenere, imo in succum & sanguinem vertere. Caveinterim ab omnibus unguentis viscidis, oleisque crassis, quæ insana plebecula magnifacit.

Cura inflammationis aurium.

§. 140. In inflammatione aurium itidem attendimus ad obstructionem reserandam, & perturbatam humorum mixtionem restituendam. Immittantur itaque auribus spirituosa & volatilia, ut acidi illi aculei obtundantur, humorumque circulatio promoveatur. Sic una vel altera gutt. ol. Succini, Lavend. Rorismar. Carui immittatur auribus. Fumus tabaci auri-

auribus exceptus vel gummi animæ. Thuris Mastichis in specie succini prodest. In genere externe conveniunt remedia sale vol. penetranti & subtili prædita. Pertinet huc Tinct. Matric. quæ instar omnium esto Tinct. Succini & Castorei Spir. Rorism. & Spir. Vini Camph. Elix. vitæ.

§. 141. Si adeo ferox & intensus sit dolor, ut ad insaniem fere adigat ægrum non incommode Tinct. Croci cum tantillo Laud. liq. & Camphor. auri instillatur.

§. 142. Cataplasma maxime est necessarium ex farina secali cum Camphor. Tinct. Matrical. Elix. vit. Removendum autem illud sæpius de die & iterandum ne si pertinacius agglutinetur transpirationem impediat & inflammationem augeat.

§. 143. Ut cura eo magis acceleretur, sudor aliquoties proliciatur sed levis, ne pressione humorum aucta versus obstructiones, dolores exacerbentur. Sic

℞. Antim. diaph. ℈j.
Sal. vol. succ.
Croci an. gr. iij.
Camph. gr. j. M. D.

§. 144. Seq. mistur. xv. gutt. sæpius assumat de die.

℞.

℞. Tinct. Matric. ℥j.
Elix. vit.
Castor. an. ℥ß. M. D.

§. 145. Aggredimur jam tinnitus sonitus & murmuris curationem. quæ consistit in remotione omnium eorum, quæ nervum auditorium commovere possunt. Externe auribus instillentur remedia paulo ante memorata, interpositis semper diaphoreticis Vapor ex decocto herbarum cephalicarum per infundibulum auribus immittatur. Suffumigia instituantur ex speciebus supra recensitis.

Cura tinnitus &c.

§. 146. Quandoquidem vero in hoc malo & tota massa sanguinea & ipse succus nervosus ex Cachexia vel Scorbuto crassitie & visciditate peccare soleant, nemo in dubium vocabit, horum curam suscipere medicamentis cephalicis nervinis supra præscriptis.

§. 147. Surdis jam opitulandum. Hic ingenue fatemur, si nervus oticus plane immobilis, si abscissus si exesus, si vitiose ab ortu conformatus, non esse quod miseri hi ullam convalescentiæ spem suscipiant. Denique in surditate à succi nervosi crassitie nata Ambrata, Moschata, spirituosa omnia, quorum uberrimam

jam

jam vidimus ſegetem, utrumque ferunt punctum. Auribus inſtillentur volatilia tepida ſupra jam memorata, verbo cura eadem ſit quæ in Paralyſi.

Cura doloris dentium.

§. 147. Curaturus dolorem dentium in eo omnem operam locabit, ut particulæ ſcindentes, anguloſæ & irregulares infringantur, ipſa circa dentes nata obſtructio reſeretur, id quod fit acres particulas demulcendo, viſcidasque attenuando. Proſcriptis purgantibus auſpicabimur curam à ſudoriferis opiatis miſtis, quæ cum ſubtiliſſimis oleoſis tenuiſſimisque conſarcinata ſint particulis, accidit omnino, ut illæ à materia ſubtili in celerrimum motum abreptæ & in obſtructos tubulos dentium delatæ, concutiant, propellant rigidos ſalium acidorum cultellos, eosque circulari ſua & perniciosiſſima agitatione infringant, & involvant, quo ſic fracti & obtuſi cuſpides innoxii evadant, fibrasque rodere & ſcindere deſinant.

§. 149. Fallat igitur æger & doloris & temporis tædium potu Theé, cum eoque aſſumat pulv. abſorb. ſeq.

℞. Ocul. Cancri ℈j.
Sal. card. bened. ℈ß.
Croci gr. vj.

Cam-

Camphor. gr. ij.
L. opiat. gr. j. M. D.

§. 150. Convenit hic Tinct. Matric. Elix. vit. Sal. vol. oleoſ. quod & urinam ſtimulare ſoleant & cum ea excludere rigidos ſalium aculeos.

§. 151. Jam immediate ipſi denti dolenti talia applicentur, quæ ramoſis ſuis & intricatis particulis aculeos ſalium involvunt, porosque inſtar vernicis obliniunt & quaſi muniunt, ut à ſcindentibus particulis perforari nequeant. Talia ſunt Camphora Ol. Caryoph. Sabinæ, Opium. Sic

℞. Opii Theb.
Camph. an. gr. ij.
Croci ℈ß.
Ol. ſtill. Cinn. gutt. ij.

M. F. Pil. denti carioſo imponendæ aut agglutinandæ.

§. 152. Seq. in ore detineri poteſt.

℞. Tinct. Matric. ℥ß.
Elix. vit. ʒij.
L. Opiat. gr. iij.
Camph. ʒß.
Spir. Vin. vulg. ʒiij. M.

Vel:

℞. Tinct. Piper. ʒij.

Pyrethr.
Carioph. an. ʒß.
Croci ʒiij.
Camph. ʒß.
L. Opiat. gr. iv.
Vini Malvat. ℥iv. M.

§. 153. Pro collutione oris seq. quoque inserviet.

℞. Herb. Salv.
Origani. aa. p. iv.
Caryoph. ʒj.
Rad. Pyrethi.
Calang. minor an. ʒiij.
Contusa bulliant in cerevisia Colat.
℞. ℥vj.

§. 154. Si dens carie exesus sit, irrita sunt non raro omnia, ideoque præstat eum evellere.

§. 155. Vesicatoria parotidibus vel nuchæ applicanda non raro, dicto facto tanquam incantamento dolorem sustulere felicissime. Nec mirum: applicato enim vesicatorio vapores calidi qui nihil aliud sunt, quam particulæ lymphæ, magno agmine per cutis tubulos erumpunt, quin & laceratis vasculis ipsa lympha largiter profluit: cum vero sic vasa inaniantur, non

non potest non Sal vol. Cantharid. eos subire relicta loca occupare, unaque cum reliqua lympha ad partem affectam pervenire, ubi crassiores particulas incidendo, aculeos salium comminuendo & infringendo, obstructionem solvendo fugat & exterminat omnem dolorem.

§. 156. Fumus tabaci multis auxilium tulit, Masticant alii Radic. Pyrethr. Galang. minor. nec parum levaminis inde percipiunt, turgent enim particulis volatilibus, si genarum tumor superveniat.

℞. Herb. Chamom. cum flor.
Flor. Samb.
Melilot. an. ℥ß.
Semin. Carui ʒiij.
Lini. ʒvj.

F. cum farina secali Cataplasma, conspergatur, Spir. Vini Camph. q. l.

§. 157. Emplastra varia temporibus applicare omnibus fere Medicis in more positum est, quæ quanquam non semper famam sustineant, possunt tamen, ne quis dicam nobis scribat, vel negligentiæ nos postulet, ægrotantibus præscribi.

℞. Mastich. ʒiij.

Ladan. ℥ij.
Camph.
Gum. elem. an. ℥iß.
Castorei ℥j.
Croci.
Opii an. ʒß. M.
F. Mass. cum oleo Succini.

§. 158. Si malum est ex Scorbuto, prout supra innuimus, operæ pretium erit antiscorbuticorum usum sibi habere commendatissimum.

Cura anginæ.

§. 159. In Cura Anginæ easdem, quas in omnibus aliis inflammationibus nobis facimus indicationes: scilicet rationem habendam esse obstructionis perturbatæ mixtionis omniumque eorum, quæ hanc producere, eamque exasperare possunt. Itaque animo bene agendi freti rotundo improbamus ore repellentia, iisque Anginam non curari, sed fieri, factam reddi deteriorem, imo incurabilem & lethalem audacter pronunciamus. Repellentia rectius impellentia aditum in vasa prætercludere humoribus prætendunt. Fac ita esse, dum profecto maxime nocent, cum in libero humorum per vasa sua circuitu consistit sanitas;

nitas; cum vero hæc medicamenta ipsis obicem ponunt influxumque denegant, pariunt anginam, non tollunt. Omnia repellentia frigida sunt, humores viscidos reddunt, incrassant, coagulant & per consequens obstructionibus obstetricantur. In vulgus notum est à justo liberiori frigidæ haustu anginam incurrisse haud paucos, qui ergo eandem curare poterint?

§. 160. Venæ sectio in speciem juvat, revera autem nocet, atterit vires, suffuratur sanguini particulas volatiles, quæ vel solæ aut calore externo adjutæ obstructionem solvere potuissent. Si tamen respiratio est anhelosa, ita omni momento ultimum spiritum trahere putentur, celebranda erit, quamvis illa ad causæ remotionem nihil faciat: sic enim sanguinis pressio versus obstructiones minor est, minus expanduntur vasa, unde minor erit dolor & deglutitio facilior.

§. 161. Instituta itaque venæ sectione si necessitas eam efflagitet, quicquid tentabis, illud omne ad resolvendam obstructionem faciat, necesse est. Si recte calculum posuero poterit potus Theé saltem tepidus absorberi addito croco, qui

gargarismatis & Julapii & remedii sudoriferi quam optime officio fungitur. Quid quod potus Theé singularem præ cæteris prærogativam habeat, quod absque omni molestia deglutiri possit, solidioribus & acrioribus plus negotii facescentibus. Magnum momentum positum est in sudoriferis, ubi observandum à pulveribus aliisque solidis in ipso principio abstinendum esse: nec enim facile aut commode absque nausea aut singulari molestia absorberi possunt. Præstat itaque solis mixturis rem aggredi.

℞. Vini malvat. ℥iij.
Aq. flor. Samb. ℥ij.
Spir. C.C. ʒß.
Tinct. Matric. ʒj.
Sal. vol. C. C. ℈ß.
M. D. Cochleat.

§. 162. Si jam remiserit parumper malum liberiorque sit respiratio & deglutitio facilior. Tinct. Matric. aut Sal. vol. C. C. dosis augeri poterit. Propinanda autem sunt omnia medicamenta calide vel tepide, imo si fieri poterit ut eundem gradum caloris habeant cum inflammatis partibus, minorem in deglutitione molestiam parient, minusque sensibiliter afficient.

§. 163.

§. 163. Dein pulveres exhiberi possunt, non autem hic anxie corradi debent pulveres sic dicti specifici: Ecquis enim eousque in Medicamentorum operationibus pervenit, ut asserat se compertum habere certa absorbentia, certo cuidam acido absorbendo specifice dicata? Ad incertam vero fallacemque experientiam quisquis confugerit nobis ludibrium debebit cum & vulgaribus absorbentibus hoc malum cessisse haud raro apud omnes fere Medicos sit in confesso. Si vero dentur in hoc morbo specifica, ea sunt talia, quæ præ aliis sudorem & transpirationem promovere observata sunt. Placent nobis illa, quæ supra de Aphtis præscripsimus.

§. 164. Internis his jungi possunt gargarismata mitiora nec non externa varia cataplasmata, emplastra, quorum supra de Aphtis mentionem fecimus. Sic horum particulæ volatiles ad stagnantes humores delatæ acidum temperabunt, stagnantes humores ad motum impellent, obstructionesque expedient.

§. 165. Quod si vero dissolventia adhibita mitiora fuerint, vel obstructio profundior, vel à sudoriferis aliisque vola-

tilibus abhorruerit æger, aut quod pessimum est frigidis calorem doloremque mitigare irrito conatu sategerit; ad suppurationem, molestiæ periculique plenam tendet inflammatio. Non opus hic est aliam curam instituere, iisdem manentibus indicationibus. Itaque præter superius laudata medicamenta applicetur externe emplastr. ex Allio Gum. Amm. & Assa foetid. vel seq. Cerotum.

℞. Gum. Galb.
Ass. foetid.
Camphor.
Ungu. Basil. D. Overc.
Alb. Græci an. ℨij.
Resi Pini ℥ß.
Tinct. Galb. q. s. M. F. Cerotum molle.

Huic Cataplasma penetrans superimponatur ex aromaticis & spirituosis.

Cura pleuritidis. §. 166. Suppetias laturi pleuritico nihil cunctandum esse existimamus, sed quam ocyssime ad obstructionem expediendam, coagulatos humores resolvendos circulationemque intendendam nos accingimus. A sanguine mittendo plane abhorremus, clamant licet nobis practici haud

haud pauci, ſuasque inſigni apparatu nobis obtrudant experientias, nihil his movemur. Docemur nos toto die pleuritides longe felicius celeriusque curari neglecta, quam adhibita venæ ſectione nec mirum, cum & exhauſto ita ſanguine ægri ut ut convaleſcant, diu tamen ſoleant eſſe proſtratis viribus, pallore, macie deformes, tandem in alios morbos Phthiſin, Cachexiam, Hydropem incidere, cum tamen ſervato ſanguine omnia illa funeſta & letho pejora ſymptomata antevertere detur. Aſſumat ergo talem pulverem diaphoreticum.

℞. Ant. diaph.
Oc. Cancr. an. ℈ß.
Camph. gr. iij.
Croci. gr. v.
Lap. prun. gr. ij. M.

Repetatur ter ſingulis 24. horis ſeduloque in id incumbat æger, ut ſudore continuo madeat, ad quem felicius proliciendum conſultum eſt potum Theé cum Elix. vit. ſorbillare.

§. 167. Cæterum ſeq. miſturæ tria cochlearia ſingulis horis aſſumantur.

℞. Aq. Meliſſ.
Vini Malvat. an. ℥iß.

Tinct. Matric. ℨiij.
Croc. ℨj.
Elix. vit. ℨij.
Sal. vol. C. C.
Camphor. an. gr. vij.
Ocul. Cancr. ℨj.
Syr. Cinnam. ℥ß. M.

§. 168. Nota hic nos consulto omittere opium, cum illud humorum attenuationem & dissolutionem impedit, & gangrænam infert, sin minus purulentos vel tabidos facit.

§. 169. Ubi sputum jam provenit, sperma ceti expectorationem facilitat ad ℨj. in potu calido assumtum vel

℞. Sperm. Ceti ℨß.
Flor. Benz.
Sulph. an. ℈ß.
Cinnab. Antim. gr. v.
Camph. gr. ij. M.

In vino malvatico aliquot gutt. Sal. vol. oleos. & Tinct. Matric. assumantur singulis 5. vel 6. horis.

℞. Sal. vol. oleos. ℨij.
Tinct. Matric. ℨiij. M.

§. 170. Externe linimenta, unguenta, Cataplasmata in usum vocari possunt ut Spir.

Spir. Matric. Spir. Vini Camphor. qui linteis duplicatis applicatus medicamentum est polychreston. Unguentum si desideras.

℞. Ungu. Mart. ℥j.
Ol. Therebinth. ʒiij.
Cumin.
Junip. an. ℈ij.
Camph. ʒj. M.

§. 171. Ubi dissolvi inflammatio nequit, vel propter obstructionis contumaciam, vel errores ab ægro vel Medico commissos, ad suppurationem tendit, de novis medicamentis non est quod cogites, modo illud agas ut expectoratio facilitetur, cui scopo inservient supra jam præscripta.

§. 172. Caveas autem tibi ab omnibus sacharatis syrupisque pectoralibus, quæ in sinu suo intensissimum & corrosivum acidum abscondunt. Expungatur itaque perniciosissimum illud Medicorum effatum, dulcia pectori grata esse, id quod de insipidis potius intelligendum, quæ puris putis flexibilibus & ramosis particulis constant, nulla spicula, nullos aculeos cuspidesque brachiolis suis tenentibus. Hoc non obstante videmus omni die Triviales

Pra-

Practicos, qui supra vulgus sapere mortis instar habent, sacharata in morbis pectoris more majorum propinare; nec quisquam eorum erit, qui non Jovem lapidem juraturus sit, aliquid peculiare sacharata complecti ad morbos pectoris profligandos, quin hæreseos & extremæ dementiæ postulabit, qui cum illis sentire recusant. Sed ita usu venire utplurimum videmus, ut homine imperito nunquam quicquid sit injustius, qui nisi quod ipse facit, nihil rectum putat.

Cura tussis.

§. 173. In tussi curanda rerum suarum satagет Medicus, si causæ tollendæ diligentissime operam dabit. Irritationem itaque placamus opiatis, ac inducias facimus, funditus autem iis solis non eradicatur malum, proinde aliis resolventibus illud ipsum combinandum erit.

§. 174. Si malum est ex ventriculo digestiva vomitoria & stomachica supra non semel præscripta commendamus. Dein omnibus in id viribus incumbendum putamus, ut acidum temperetur, viscidum discerpatur, quo sic nihil usque quaque supersit, quod irritando tussim, producere valeat. Obtinebimus hocce, si æger ab omnibus frigidis abstineat, potum

Theé,

Theé, &c. calidissime, tum quoque seq. pulv. assumat.

℞. Sperm. Cet. recent. ℥j.
Succin. albi ℈j.
L. Op. gr. j M. D. in cerevisia calida.

℞. Tinct. Matric. ʒß.
Elix. propr. s. a. ʒij.
vitæ.
Sal. vol. oleos. an. ʒiij. M.

Sumantur sæpius de die 40. vel 60. gutt. in vehiculo, calido. Convenit hæc mixtura apprime in tussi asthmate & raucedine. Imprimis vero conducet infantibus ad 20. gutt. assumta.

§. 175. A sudore nunquam abstinendum, qui absque magno negotio prolici poterit potu Theé, Tinct. Matricali aut medicamentis ex croco, Succino, Benzoin paratis. Elix. vit.

§. 176. Ne vero quicquam desit, quod & acidum temperare viscidumque incidere possit seq. rotulas absque multo sacharo paratos in ore teneat æger.

℞. Extract. Helen. ʒß.
Croci ʒij.
Camphor.

Sperm.

Sperm. Cet. an. ℈ß.
Flor. Benz.
Antih. Poter. an. ʒj.
Balſ. Peruv. gr. viij.
Succi liquir. depur. & in aqua Roſar. diſſoluti ℥ij. Sach. Candi ℥ß.

M. F. l. a. trochiſci.

§. 177. Cum & nocturno tempore ingraveſcere malum ſoleat pilulas cachecticas vel ſeq. fieri curamus.

℞. Gum. Amm. Spir. V. ſol. ʒij.
Flor. Benz.
Sal. vol. Succini.
Caſtor.
Camph.
Croci an. ʒß.

Fiant cum Elixir. propri. aut Balſ. Sulph. ſuccinato pil. parvæ. Sumat inde cubitum iturus ℈j. vel ʒß. addatur interdum aliquid opii.

§. 178. In tuſſi inveterata. Senumque damnamus opiata: eodem enim modo hic procedendum eſſe putamus ac in Aſthmate. Sunt qui ſeq. commendant.

℞: Flor. Benz.
Sulph. an. ℈j. M.

Aſſu-

Assumatur in ovo sorbili omni mane. Nos non ægre subscribimus cum & ex superioribus satis patet nos ramosis his non parum deferre. Operæ pretium tamen erit Sal. volat. varia his maritare, Vomitoria propinare, sudorem prolicere, à frigidis & acidis abstinere potum Theé vel Sassafr. in deliciis habere; sic vinci facile docebis refractarium malum.

Cura hæmoptysis.

§. 179. Hæmopticus ut voti sui compos fiat, illud nobis negotii datum esse credimus, ut quicquid in potestate nostra situm est, illud omne ad causam removendam conferamus. Ad sanguinem derivandum in brachio vel pede venam tundi curarunt veteres, quos hac in re sequi piaculum nobis est: Nec enim ille sanguis, qui in pulmones ruit per brachium derivari vel revelli potest, nec ut ut in plurimis locis venam incidas, eo moveri desinet, nisi totum sanguinem exhaurire velis.

§. 180. Tantum etiam abest, ut ab adstringentibus aliquid opus vel auxilii sperare liceat. Si quæ inter à nonnullis neotericis relata fuere Aloes, Myrrha, Absinth. Spica Nux mosch. Sic celeberrimus quidam Medicus thus & Myrrham sanguinem viscidius, culum reddere exsertissimis verbis

bis asserit. Nimirum cum ab horum medicamentorum usu fluxus inhibitio subsecuta sit, non dubitarunt hunc effectum nescio cui adstrictioni adscribere. Altius vero consideranti & excutienti horum medicamentorum texturam, facile patebit ea ideo malum sustulisse, quod particulis suis ramosis aculeos salium involverint, particulas irregulares obtuderint & Sale volatili motum circulatorium auxerint; duplex igitur hic committitur error, primus, dum remediis aliquid tribuitur, quod iis non competit. Secundus dum aliquid intendunt, quod tamen maxime cavere debeant, nimirum incrassationem sanguinis. Quid si hunc effectum impetrassent, an tum fluxum hunc sustulissent, non putem? sunt ergo medicamenta illa melioris indolis, quam quidem ab ipso æstimantur.

§. 181. His ideo prælibatis neminem tam obesæ naris esse reor, qui proprio marte viam tutissimam ad curationem parare non possit singulis itaque horis vel duabus assumat hunc pulv.

℞. Ocul. ♋.
Corall. rubr.
Thur.

Terr.

Terr. Jappon. an. ℈ß.
Camph. gr. iij.
Laud. Op. gr. j. vel ij. M. D.

Vel: Pulv. ſupr. præſcriptus ubi de Hæmorrhag.

§. 182. Diligenter etiam uſurpet ſeq. in Vino Malvat.

℞. Tinct. ſuccin.
Matric. an. ʒß.
Benz.
Spir. Camphor. an. ℈ij.
Balſ. Sulph. Thereb. ʒj. M.

§. 183. Lac calidum recens mulſum quodcumque cum largo multoque croco & camphora paratum ſingulis horis hauriat. Idem quoque præſtabit Chocolata. Verbo omnia oleoſa, ut oleum Lini, niſi præpoſtere & in propriam perniciem delicatulus ſit æger. Balſ. Sulph. ſuccinat. ut & Therebinth. Hæc præter medicamenta. ſeq. pil. aſſumat ſub introitum lecti.

℞. Thereb. Venet. ʒj.
Balſ. Copay.
Peruv. an. ʒß.
Ocul. Cancr. ʒj.
Camph.

Thur.
Bol. Armen.
Sach. Satur. an. gr. xv.
F. cum Tinct. Succini pilul.

Cura Phthiseos.

§. 184. In Phthiseos curatione summe necessarium ducimus, ut ponderatis in utramque partem rationibus, examinemus an malum recens sit, nec ne, tum an ex Cachexia vel Scorbuto, vel exulceratione pulmonum ortum ducat. Signa distinctiva jam dedimus. Simul ergo constat salva esse viscera, pulmonesque ab omni exulceratione immunes, nullus dubito digestivis præmissis vomitorium exhibere, ægrumque tractare tanquam stricte dictum scorbuticum vel cachecticum.

§. 185. In exulceratione pulmonum sequentes nobis præfigimus indicationes. Sanguinis intemperies acris, acida, & corrosiva corrigenda ulcus mundandum & consolidandum, hoc est tubuli aperiendi & acidum corrosivum temperandum, vires conservandæ. Satisfacturi his indicationibus sequentem pulverem commendamus.

℞. Antih. Pot. ℈j.

Flor.

Flor. Benz.
Sulph. an. ℈ß.
Sach. Satur. gr. iv.
Ireos flor. gr. viij. M.

§. 186. Decocta & destillata vulneraria centum composita manibus Authores confidenter & magna pompa proponunt, sed vereor famam sustineant. Ego equidem bene memini haud raro illa esse usurpata, sed absque levamine. Videantur horum formulæ apud Authores meque suasore audacter illis substituite infusa illa calida nunquam satis laudanda vel Theé vel Coffeé, cum Croco aut Elixir vit. & Tinct. Matric.

§. 187. Cæterum aut ego totus fallor, aut si cura hujus mali possibilis est, ramosis, oleosis, spirituosis absolvi poterit. Seq. pilullæ nobis probantur.

℞. Ther. Venet. coct. ʒß.
Bals. Copay.
Antim. diaph.
Antih. Poter. an. ʒj.
Camph.
Croci.
Flor. Sulph. an. ʒß. F. cum Elix. propr. pilul.

§. 188. Si tuſſis nimis urget, opiata parca manu concedimus: ſatius tamen eſt, absque eo excretionem ſputi promovere.

§. 189. Sequentes Trochiſcos ſemper in ore teneat.

℞. Flor. Sulph. ʒij.
Antim. diaph.
Ocul. Cancr.
Croci an. ʒj.
Balſ. Peruv. ℈ij.
Camph. ʒß.
Succi liquir. ℥iß.
Sach. alb. ℥j.

§. 190. Inter volatilia caput extollunt Tinct. Matric. Succini. Elix. Propr. vitæ. Balſ. 🜍ris tam ſuccin. quam Therebinth. Camphor. Myrrh. Crocus, aliaque balſamica quorum jam aliquoties formulas tradidimus.

§. 191. Quod ſi hæc eludit rebelle malum, ad ultimam ſalutis anchoram curam lactis confugimus. Hoc illud ipſum eſt, quod labantem ſpem erigere, jamjam labantem ſanitatem ſuſtinere quodammodo poteſt. Gerit illud in ſinu ſuo parti-

particulas ramoſas, quibus aculeos cuſpideſque ſalium involvit; particulas ſalinas & flexiles quibus tubulos aperit viſcoſumque incidit, particulas caſeoſas, viſcoſas, quibus obruit ſalia & intricat: ſed harum forte ratione plus damni affert, quam emolumenti. Præter has etiam particulas acidas in receſſu habet, quare nullum lac ſimpliciter conducit, cum facile & aceſcat & in caſeum faceſſat.

§. 192. Itaque circa ejus uſum quædam ſunt notanda. I. Cum ab omni acido lac facile coaguletur, attendendum, ſolertique animo explorandum, num in ventriculo primiſque viis iſtiusmodi acidum vitioſum ſtabuletur, tum vero caute procedendum, nec illotis manibus in hanc curam involandum, niſi illud primo correxeris & innoxium reddideris. II. Si febris ſit juſto vehementior, ſimiliter abſtinendum, cum periculum eſt, ne eandem una cum ſanguine perturbatam incurrat mixtionem. III. Si Diarrhæa ſævit, borborygmi & murmura in abdomine audiantur, vix proderit, quia his omnibus indicatur hærere in primis viis ingentem particularum acidarum vim,

 quam

quam ſine coagulatione effugere non poteſt. Nulli autem prætendimus, ut in primis viis nullum omnino exiſtat acidum vitioſum, quod in Phthiſi ubi ulceris particulæ acidæ & corroſivæ quaqua verſum ſe diffundunt, & procul dubio in ipſum quoque ventriculum decumbunt, ejusque fermentum vitiant, ſperari nequit: Sed ut quam minimum particularum acidarum, earumque non adeo rigidarum aut craſſarum copia ibi hoſpitetur quo ſic particulæ lactis ramoſæ illas implicare, angulos involvere, ſicque vel plane vel maximam partem, paucis aut nullis aculeis onuſte ad ſanguinem ulcusque pulmonum devehi poſſint, ad ſperatos effectus eo felicius exerendos. Ratum igitur & inconcuſſum eſt, plus præſidii in lactis cura ſitum eſſe, ubi relegatis particulis acidis è ventriculo lac magis exaltatur, particulæ ramoſæ ſubtiliſantur, ſalinæ volatiliſantur, acidæ imminuuntur, quo ſic ad ulcus devolutum lac in ſubjugandis demulcendisque particulis acidis corroſivisque deſideratam opem navare poſſit.

§. 193. Pergimus jam ad modum uten-

utendi, quem paucis perstringamus. Scru-
pulosi nonnulli sunt in eligendo lacte.
Nos liberam damus optionem quodcun-
que; hauriendi familiarissimum est vac-
cinum, quod & absque nausea assumi-
tur, cui & nonnulli asininum, utrique
caprillum, omnibus muliebre præferunt.
Præstantia forte consistit in particularum
salinarum & volat. abundantia. Quod-
cunque igitur arriserit rationem habeas
animalis, quod illud suppeditat, quo il-
lud melius rectiusque habet, quo salu-
brioribus vescitur herbis, eo & lac præ-
stantius erit. Operam itaque da, ut
variis herbis aromaticis nutriatur bestia.
Sic ramuli lactis subtiliores salque volati-
lius & per consequens intentioni acco-
modatius erit. Si mulieris opera uti ma-
lis, cura ab omni acido vinoque absti-
neat, hilariter & athletice vivat, genio
indulgeat, optimi succi cibis vescatur,
salibus volatilibus oleosis antiscorbuticis
utatur.

§. 194. Porro lac simul emulctum at-
que calidum hauriatur, quo citius eo me-
lius: aëri enim aliquamdiu expositum
particulas volatiles illi communicando
acidasque recipiendo acescit. Aliquot

diebus antequam usum ejus auspicaris, absorbentia offeras ægro, quo sic infarcto acido curæ huic præparetur corpus. Quotidie purgetur animal à nimiis sordibus cutis, pectine fricetur, quo sic aucta insensibili transpiratione circulatio sanguinis intendatur. Æger aliorum omnium ciborum usum suspendat: ubi enim sinistre res cedit utplurimum culpa redundat in errorem quendam diætæ. Lex igitur esto omni mane circa horam 6. vel 7timam hilari curisque vacuo animo assumere lac calidum à ℔j. ad ℔vj. per gradus ascendendo. Si tibi à coagulatione metuis, non sacharum quod aliis placet adsperge, sed lacti affunde infusum herbæ Theé vel Coffeé vel hæderæ terrestris. Vel denique pulv. absorbentem interponas. Quatuor horis elapsis iterum hauriatur, idque continuetur toto die, donec hora 7tima vespertina curæ diurnæ ultimo haustu finem imponas.

§. 195. Medicus cautus sit, ad omnes circumstantias sedulo attendat, nec suctioni interesse dedignetur, urinam examinare poterit, quæ si cocta appareat sine copioso sedimento non valde tincta, nec nimis aquosa res bene cedit. Si ventricu-

triculus alvusque bene se habet, Medicus audacter jubeat continuare curationem lactis. Optimum est signum si sitis quæ in principio admodum vehemens erat, remittit. Verum ubi flatus molesti sunt, murmura audiuntur, nausea & dolor ventriculi divexat, febris, capitisque dolor exacerbatur, tum occurrendum illis symptomatibus, aut cura lactis abrumpenda. Ubi omnia ex voto cedunt, continuandus ejus usus ad minimum ad tres menses.

§. 196. Satis de cura lactis, cui si quis antetulerit Chocolatam vel potum Theé cum lacte paratum, non male, nisi forte melius sanitati suæ consulet. Tum quoque jusculis bene aromatisatis ut & gelatinis aliisque facilis dissolutionis succoque temperata turgidis cibis appetitum ægri explere licet, sensim tamen desuescendum, donec protracto lactis per aliquot menses usu, affulgente aliqua convalescentiæ spe iterum sensim & suspenso gradu ad veterem victus rationem progredi queat.

§. 197. Antequam finiam suffumigia hic commendare oportet, quæ cum recta omnique ambage remota in pulmones

descendere possint. Intentioni nostræ ex asse satisfaciens, reliquisque forte medicamentis palmam reddent dubiam, neminem namque latere potest quam studiose in vulneribus ulceribusque curandis sit vitandus & arcendus aër. Exulceratis vero pulmonibus, cum linteamina pro arcendo aëre applicari nequeant, aërisque inspiratio ad vitam simpliciter sit necessaria, in id saltem incumbamus, ut non nisi salibus volatilibus impraegnatus eo delabi possit, sic non modo non nocere, sed & plurimum prodesse poterit.

℞. Camph. ʒij.
Myrrh.
Thur.
Mastich.
Succin. an. ℥j.
Gum. Galb. ℥ß. M. D.

Vel si suaveolentia mavis.

℞. Gum. Anim.
Styrac. Calam.
Mastich.
Benz.
Succin. an. q. l. M.

Excipiat æger patulo ore hunc fumum semperque versetur in aëre horum particulis impraegnato.

§. 198.

§. 198. In Syncope hoc agamus, ut sanguinis circulationem restituamus, causas remotas arceamus. Sic ubi quis animi deliquium incurrerit, qui in cubiculo hominibus stipato versetur, alii aëri ipsum exponamus, qui ad expansionem aptior existit, qualis est frigidior & purior. Novi quidem eos redire aqua frigida aspersa, vel aceto naribus admoto, hoc vero non eo fit fine, ut calorem sanguinis restinguamus, sed quod aspersio illa aquæ frigidæ & aceti I. aërem ambientem aliquantulum constringat, comprimat & condenset, ut dein inspiratus fortiori elatere resurgat, ejusque expansio elastica augeatur, ad vesiculas pulmonales promptius & alacrius distendendas pro liberiori sanguinis per pulmones motu II. in motum redigat succum nerveum, acetum vero particulis suis rigidis scindentibus vellicet & rodat tubulos; unde succus nervosus insurget & intermissam machinam movendi provinciam resumet.

Cura Syncopis.

§. 199. Qui à fumo carbonum deliquium patiuntur itidem levamen ab aceto percipiunt, quod sulphureæ & ramosæ particulæ, sanguinis particulas volatiles ligatas tenentes acidos illos cuspides

prom-

prompte amplectantur, seque illis flexuosis convolutionibus arctissime uniant, quo fit, ut liber particulis aëris pateat aditus ad motum sanguinis impellendum. Cæterum cura eadem esto, quæ in Syncope ex Cachexia oriunda.

Cura cardialgiæ. §. 200. In cardialgia simul atque ex supra memoratis causis affligit, commendamus potum calidissimum cum aromaticis & spirituosis paratum. Sic

℞. Elix. vit. ℥ß.
Tinct. Matric. ʒij.

M. D. in vino calido & ad sudorem se componat, regioni epigastricæ imponantur sacculi ex farina hordei, quam calidissime æger ferre poterit.

§. 201. His si non remittit malum, addatur præcedenti mixturæ aliquid opii itidem exspectando sudorem, inungi quoque poterit scrobiculus cordis spirituosis & volatilib9 superimponendo cataplasma, quorum supra non semel facta est mentio.

§. 202. Si aliquantulum dolor remittit, potum Theé cum Croco aut Elixir. vit. calidissime sorbillet aut superbibat largiorem haustum Spiritus Allii. His stagnantes in tubulis ventriculi humores in mo-

motum propelli convulsiones & spasmum tolli posse confido.

Cura appetitus prostrati.

§. 203. In appetitu prostrato cum praecedenti mixtura (§.200.) itidem ad sudorem se componat patiens, potum Theé in deliciis habeat, aut decoctum aliquod ex salsapar. China Sassafr. Contrayerv. His si non remittit malum, cura eadem esto quae in Cachexia, Scorbuto & Febri.

§. 204. In Nausea, Vomitu, Cholera, Diarrhaea, & Colica temperanda est acrimonia, obstructiones tubulorum aperiendae, convulsiones sistendae, & transpiratio promovenda. Obtinebimus hosce fines oleosis, opiatis sudoriferis, aromaticis, spirituosis & volatilibus, curamque eandem facimus ac quam modo in cardialgia ac supra in aliis morbis generalibus tradidimus.

Cura nauseae vomitus, cholerae, diarrhaeae & colicae.

§. 205. In inflammationibus ventriculi & intestinorum, eadem quae supra in pleuritide & angina commmendavimus usurpari possunt, qualia sunt Tinct. Matricalis, Succini Galban. & Croci Sperm. Cet. Camphor. Antimon. diaph. Balsam. Sulph. succinat. Peruvianus, ex quibus variae possunt parari formulae. Notandum autem medicamenta minori dosi esse propinan-

pinanda, sed sæpius, aut copiosiori vehiculo involvenda. Sic

℞. Elix. vit. ℥ß.
Tinct. Matric. ℥j.
Camph. ℈j.
Laud. opiat. gr. ij. M.

Cujus æger per intervalla cum Vino Malvatico aqua diluto assumat gutt. 30. Fugiantur tamen opiata quantum fieri potest, ne gangrænam intestinorum inferant.

§. 206. Interdum lac dulce cui oleo Amygd. dulcium cum croco & tantillo camphoræ additum, calide hauriendum. Si sitis vehementissime urget, frigidam interdicitio, Clyster etiam emolliens, si necessitas urget, injiciatur & cataplasm. ventri superimponatur, quod non erit de nihilo.

Cura ilei. §. 207. In ileo cura variat pro causarum varietate. Si ab inflammatione ortum trahit, cura eadem est, cum inflammatione intestinorum. Si ab ascensu intestini inferioris in superius oritur malum, conveniunt globuli plumbei, Mercur. Vivus cum oleo amygdalarum assumtus, si ex hernia est malum, intestinum quovismodo re-

reponendum; aromaticis oleosis & cataplasmatibus fovendum; si ex constipatione alvi pertinacissima oritur, purgantia cave præscribas: degenerant enim sæp ssime in Vomitoria, proinde conveniunt Gummata, Castoreum, Elix. propr. Oleosa Juscula cum oleo Amygdalarum vel Lini, Mercurius ad ℥iij. & plures assumtus, Clysmata.

Cura stranguriæ.

§. 208. Stranguria si ex prægresso diætæ errore oritur, commendamus stomachica, quæ cruditates in primis viis emendant, nec non sudorifera & diuretica, v. gr. potus Theé, Elix. vit. Tinct. Matric. & Succin. Ocul. cancri Tart. Vitriol. & interdum opium. Hæc digestionem in primis viis promovent, acidum corrigunt, viscidum incidunt, mixtionemque urinæ turbatam restituunt. Externe conveniunt, fotus, suffitus, inunctiones, umbilico & perinæo inuncta, si dolor est atrocissimus, convenit cataplasma abdomini & pubi applicatum.

Cura reliquorum symptomatum ex aliis morbis Cardinalibus innotescit.

§. 209. Denique, si ex Catharro totum corpus languet, dolores atroces hinc inde oberrant, aut fixi in eodem loco permanent, si inflammationes, tumores, ulcera, convulsiones, spasmi paralyses, aliæ-

aliæque furiæ affligant, tum pro earum varietate ſecundum generalem humorum ſtatum cura variabit, id quod ex ſupra dictis ſufficienter innoteſcit. Diæta eadem eſto quæ in aliis morbis generalibus.

De uſu fonticulorum.

§. 210. Tandem coronidis loco de uſu fonticulorum in catharris nonnihil adjiciam. Sed quis audet fonticulorum tot ſeculis ſtabilitam autoritatem infringere, aut honorem ab omnibus ipſis habitum denegare. Liceat tamen nobis pace aliter ſentientium libere opinionem noſtram exponere. Negamus humores, qui ex fonticulis quotidie emanant, eſſe excrementitios, tantumque Catharris ſubtrahi, quantum per hos rivulos excluditur, contra purulentum illud, quod fonticuli plorant, nihil aliud eſſe, exiſtimamus, quam ſuccum nutritium cum pauco cruore, quem vaſcula capillaria dilacerata effundunt, permixtum: Cum enim lege circulationis per hos tubulos ruptos continuo ille affluat & in hoc vulnus depluat, mora acrimoniam contrahit & in materiam abit purulentam, quæ poſtea fermenti inſtar, quicquid de novo advehitur, inficit: teſtatur hoc pruritus intollerabilis, de quo conqueruntur ægri, teſta-

tur

tur fœtor, quo territi plurimi carere illis maluerunt. Ex quibus jam patet non nisi laudabilem succum ad fonticulum appellere, qui cum male formatos tubulos inveniat, iis adhærere nescit, sed acidis acribusque in fonticulo existentibus particulis similem labem contrahit. Porro quæ amabo proportio est, inter totum sanguinem, qui corrigi debet & depurari per hoc vulnusculum, & tantillum succi, quod excernitur? quid quod per insensibilem transpirationem longe plus humoris peccantis exspirat in uno momento, quam toto die per foramen hoc excerni unquam potest.

§. 211. Taceo jam ridiculum esse statuere materiam ad catharros potius fluere solitam, per nescio quam sympathiam ad fonticulum trahi: repugnat hæc namque opinio circulationi sanguinis, cum illa indifferenter ad omnes partes diffunditur.

§. 212. Experimentum Clarissimi Muys nihil aliud probat, quam modicam quantitatem salis acidi excerni: nempe tantum, quantum illa chyli portio secum ferre & in sinu suo gerere potest: Sed quantillum acidi est, quod ex hoc vulnusculo excernitur,


ſi comparationem faciamus cum aliis emunctoriis?


§. 213. Nec præterire ſilentio fas eſt, longe plus damni œconomiæ exſurgere ex his ùlceribus, quam emolumenti poſſe: qui enim ſuccus alius hoc prætervehitur, eandem figuram ſenſim induit, eodemque motu abripitur, ſicque ad ſanguinem delatus, non poteſt non eundem acrem & corroſivum reddere. Cum jam ille iſtiusmodi conſtet particulis, quæ cum ſanguinis particulis ſitu, figura, motu, magnitudine plane non conveniunt, deterioribus adhuc malis fores pandantur, neceſſe eſt.

§. 214. Ad illorum experientiam ſi quis confugit, omnibus circumſtantiis rite ponderatis, rationibusque ſubductis, liquido conſtabit, vel diætæ, vel aliis medicamentis convaleſcentiam eſſe adſcribendam. Nec ſequitur, cum ex bene habentium fonticulis multum effluat, ex male vero habentium parum, ideo ſe illos bene habere, quod particulæ heterogeneæ ex hoc foramine excludantur, ſicque maſſa ſanguinea depuretur; ſed quod iſtiusmodi homines multum laudabilis ſucci in ventriculo conficiant, ſanguinemque habeant particulis flexibilibus & chyloſis abundantem; hinc ſuccus

nu-

nutritius magno agmine, bene tamen constitutus, eo defertur, ubi propter latens fermentum corrumpitur & materiam purulentam mentitur, quam ægrotantes malæ suæ constitutionis fabrum perperam agnoscunt. Ubi vero parum excernitur, signum est istos homines habere sanguinem particulis chylosis, dulcibus orbatum, ventriculumque propter inertiam fermenti, vitiosum chylum elaborare; unde præter tantillum sanguinis, nihil exhibent, ipsique patientes male habent. Calculum adjiciet hisce ipsa horum hominum confessio, qui ad unum omnes præ se ferunt, nunquam plus è fonticulis effluere, quam ubi potu & cibo se liberalissime invitarunt; manifesto argumento non sordidum quid, sed ipsum succum nutritium expelli.





INDEX RERUM.

A.

INDEX RERUM.

Aro-

B.

C.

D.

Diæta

fixus

E.

Epi-

F.

G.

Pro-

Hydro-

I.

M.

N.

O.

P.

R.

Sudo-

T.

V.

Vena

Vinum

FINIS.